

LXXVI. De comparatiuo.

[1] 45^a. Comparatiuus dupliciter comparari potest: uno modo connumerando se cum illis cum quibus comparatur; alio modo remouendo se ab illis. Primo modo per comparatiuum partitio denotatur, et tunc cum genitiuo ex ui partitionis construitur, ut *fides, spes, kharitas, tria haec maior horum charitas est*. (2) *Horum* enim ab illo comparatiuo *maior* ex ui partitionis gubernatur. Siquidem *charitas* comparata, inter tres enumerata fuit, ad quas fit comparatio. Idem, si X socii uel XX sint, et de uno illorum dicatur: *Petrus illorum X sociorum est fortior*. (3) Secundo modo comparatiuus uim sui gradus ex ui uel excessu uel gradus, quod idem est, seruat, et tunc cum ablatiui copulatur, ut *Petrus est his nouem fortior sociis*. Ergo considerandum est utrum comparatiuus cum his connumerandus sit, ad quos fit comparatio, an ab illis remotionem nocet, sic enim diuersa fit comparatiui constructio.

[2] 46^a. Comparatiuus cum genitiuo plurali construitur, quando per ipsum partitio denotatur, ut *Hector Troianorum, Achilles uero Graecorum fuit fortior*. Vel secundum Hugutionem haec regula sic poni debet: Comparatiuus cum genitiuo plurali partitue coniungitur, quando id, quod per ipsum comparatur, de numero sit eorum ad quae sit comparatio, ut demonstrato Petro, Bernardo et Ioanni, dicendo *horum trium Petrus est fortior*. (2) Quamuis autem duae regulae Prisciani suorumque commentatorum, *Doctrinalisque* glosatorumque huius auctoritate muniantur, potest, ut Graecorum instar, ad unum sui generis comparatiuo, ad plura uero sui generis superlatiui utamur, sed comparatiuo ablatiui demus, siue ad unum siue ad plura generis diuersi tribuatur, ut *ego sum te diligentior, brutisque rationis discursu logicaliaque praestantior*. (3) Enimvero cum Graeci, ablatiui carentes, genitiui comparatiuo et superlatiui iungant, nos graecae constructionis formam imitati, comparatiuo, sed inter duo quidem, genitiui adiungimus, ut *Ioannium, Baptista in conceptionis praenunciatione, consecratione uitaeque asperitate ipso Euangelista fuit praestantior, et durium dextera est audientior, mannumque sinistra debilior*. (4) Nam si Ioannes tres fuisset, non *praestantior*, sed *praestantissimus* dicendum esset, unde et Cyrus maior et minor, ut et Cato Scipioque saepenumero legitur, etiamque superior et posterior, nam tempus non dignitatem maiorem minoremque signamus. (5) De malis tamen non maior et minor dicitur, ut Dionysius superior et Dionysius inferior. Qui quidem numerus cum excedit, non per comparatiuum, sed per positium superlatiuique fit locutio, ut Magnus Alexander, Magnus Pompeius, Fabius Maximus, Valerius Maximus. Vt enim comparatiuum nec duo, ita superlatiui inter plura collocatur. (6) Quod Cicero manifeste sciteque declarat, cum *In Pisonem* ait: «Me aedilem priorem, praetorem postremum», cum aediles duo tantum essent, sicut duo consules duoque censores. Ceteri uero magistratus plures, sicut autem superlatiui genitiui plura sui generis denotantem regit, ut *Salomon gentis suae hominumque ditissimus*. Sic comparatiuum ablatiui non modo numeri singularis, sed etiam numeri pluralis, plura diuersi generis importantis admittit, ut *Achilles fortior Hectore et Troianis, hunc, Troianorum temporum fortissimum, interemit*. (7) Nam et Donati (2, 2), Seruii Priscianique sententia (3, 12) *prior* et *primus* cum sint ordinis, numeri, notant differentiam, ut enim *alter* de duobus, *alius* autem de multis. Tamen sic et *prior* de duobus uim comparatiui habens, et *primus* de multis superlatiui, more dici solet, sed indubie *prior* pro *melior* et *primus* pro *optimus* comparatiui et superlatiui significationem habent, ut *Turnus prior Aenea in mouendo bello fuit*, uel *prior Turnus quam Aeneas mouit bellum*. (8) *Primus* autem in superlatiuorum similitudinem, ad generis sui multos in genitiuo plurali collocatos coniungitur. Vt Virgilius in II^o *Aeneidos* (2, 370, 71):

«Primus se Danaum magna comitante caterua
Androgeus offert nobis».

(9) Petrus quoque Heliae super ipso maioris 3^o dicit (Reilly 264): «*Prior* significat praeteritum tempus, ordinem et binarium numerum. Cum enim dico *iste prior fecit*, hic tria designo: scilicet istum in tempore praeterito, alium post, et hunc esse unum de duobus. Secundum ergo quod tempus significat uel numerum, non est comparatiuum, sed in eo quod ordinem significat. (10) Sciendum autem hoc etiam inter comparatiuum et superlatiui interesse, quod dubitando uel interrogando, damus comparatiuo *utrum*, superlatiui autem *quid*». (11) Etenim pro duobus comparatiuo, pro pluribus

superlatiuo est utendum. Cicero (*De inu.* 1, 17): «Vtrum potius -ait- quid potissimum dicatur». Quintilianus (8, 34): «Ita non tantum utrum sit melius, sed quid sit optimum quaeritur». Ceterum *quid* etiam cum comparatiuo iungi, sed improprie reperitur. Vtrum uero cum superlatiuo nunquam. (12) De hac materia plene per Laurentium Vallensem, libro I, capitulo XV^o, scilicet *Comparatiuum ad unum, superlatiuum ad plura*, et per Nicolaum Perottum, capitulo de comparatiuis, habetur. In quo quidem capitulo, praeter antedicta, Perottus ait (fol. k6u.): «Comparatiuum quid est? Quid cum intellectu positiui uel aliquo participante sensum positiui *magis* aduerbium significat, ut *liberalior, magis liberalis, et doctius, magis doctum*». (13) Et infra: «Comparatiua quem casum exigunt post se? Nominatiuum cum *quam* uel ablatiuum sine *quam*, cum alio ablatiuo significante excessum et cum omnibus casibus quos habere posset positiuum suum, ut *hoc dolium est plenius olei illo* uel *quam illud dolium tribus digitis*. Verum relatiuus et negatiuus semper sine *quam* ablatiuo iunguntur, ut *nemo est doctior Platon*». (14) Consequenter de comparatiuorum formatione tractat comparatiuisque anomalis, et circa finem quaerit: «Quot modis fit comparatio? Quattuor: aut ab una substantia ad aliam, ut *ego sum maior te*, aut ad se ipsam, ut *ego sum ditior solito* uel *ditior hodie quam heri*, aut ab uno accidente ad aliud, et tunc fere semper utimur aduerbio *magis*, ut *ego sum magis fortis quam doctus*, aut ab uno actu ad alium, ut *ego malo uitam quam mortem*, et *magis lego quam dico*». (15) Subinde quaerit (Valla *Eleg.* 1, 12): «Comparatiuum quot modis cum ablatiuo iungi potest» Tandem «Quot modis comparatiuum nominatiuum regere non potest». Et eundem Laurentium perspice, eodem libro I^o, capitulo XIII^o, scilicet de ui comparatiui et de *magis* et *minus*.

[3] 47. Aduerbia generalitatem cum confusionem quadam significantia, ut *ubique, ubicunque* et similia, cum genitiuo plurali locorum et genitiuis similibus construuntur, ut *ubique terrarum* et *ubicunque locorum*, et hi genitiui ab his aduerbiis ex ui partitionis gubernantur, partem nanque loci significant, et partis ad locum dispositionem et distributionem dicunt. (2) Licet autem aduerbium ad determinandam uerbi qualitatem, et non ad regendum sit inuentum, nec in quantum aduerbium regatur, tamen per aliquam specialem naturam in ipso repertam et per quandam particularitatem respectu totius importatam in partiuorum speciem genitiuum regit. (3) Quod autem *ubicunque* et *ubique* uere partitiua non sint, palam est quia quod per partitium disponitur, id cum toto et sub eadem parte, idem significare debet. *Ubicunque* uero non est huiusmodi, nec *ubique* nec similia, quippe aduerbia sunt et solam dispositionem dicunt. (4) Et ideo *Doctrinalis* auctor, has duas postremas regulas in VIII^o confirmans, et ut similitudinarie collocans, sic ait (8, 1.174-75):

«Pone gradum medium partitio quando notatur

Vt partitium pones *ubicunque locorum*».

(5) Vel dic quod haec aduerbia uere partitiua non sunt, cum non nominis sed uerbi potius dispositionem notent. Verum autem partitium eius, cuius partitium est, dispositionem dicit.

LXXVII. De partitiuis.

[1] 48. Tria pronomina demonstratiua, *hic, ille, iste*, cum genitiuo plurali ordinantur partiuorum instar, ut *haec uolucrum canit, ista uolucrum gemit, illa uolucrum manet*. Hic enim genitiuus *uolucrum* cum his tribus ordinatur pronomibus partitiue, non autem quod ab eis gubernetur, nam pronomina non regunt, eo quod meram substantiam confuse et sine qualitate respectu nominum significant, ut Priscianus ait (18, 16), sed ab aliquo regitur intellecto. (2) Cum enim dicitur *haec uolucrum* sensus est haec, id est de numero uolucrum uel hoc pars uolucrum uel haec uolucris uolucrum. Causa uero huius regiminis sicut in aliis partitiuis est. Non enim oportet ut genitiuus *iste* regatur a pronomine, cum enim regimen propter communem qualitatem fiat, et pronomina qualitatem sine demonstratione relationeque non significant, ea regere non ualebunt. (3) Quidam putant quod genitiuus *ipse* regatur a pronomine, licet enim pronomen de se qualitatem non habeat, tamen id quod demonstrat, illam qualitatem habet quam significat, et ob id qualitatem habere dici potest, ut Petrus Heliae refert. Quamuis autem haec defendi posset opinio, tamen prior tutior est habenda. (4) Iccirco *Doctrinale* regulam hanc confirmans transit fictorie (8, 4.176-78):

«Sub partitiuis pronomina terna locabis

Vt *uolucrum canit haec, gemit ista, tacens manet illa*».

(5) Non enim expressit quod reuera haec tria partitiua forent, sed ait *sub partitiuis* utendo fictionis specie. Dicit enim Ouidius (*Pont.* 4, 5, 14):

«Saepe minus ficta uerba timoris habent».

[2] 49^a. *Ego et tu* partitiuam constructionem habere non possunt, licet partes certas et determinatas dicant. Oportet enim in ea partem et totum eiusdem personae esse. Quod si per *ego tuque* talis fieret constructio, pars et totum diuersae personae essent. Quamuis autem reperiatur *ego meorum sum primus*, non tamen minus uera est haec regula, quia intelligitur genitiuo primitiui possessio. (2) Itaque haec constructio per alium fieri non posset genitiuum, siquidem ab *ego* uel *tu* diuersam naturam haberet. Vel melius dici posset quod *meorum a primus* uim superlatiui habente regatur, nam *et ego et tuorum et Barcinonensium et Catalanorum sum primus*, uel *secundus* uel *tertius* uel *quartus*, hac ratione congrue diceretur.

[3] 50^a regula. Nec per pronomina relatiua, ut *sui* et *is*, haec constructio partitiua fit. In ea nanque totum suas partes actualiter continet. Partes autem per relatiua notatae non essent actualiter, cum relatio sit absentium commemoratio. Ideo talis constructionis uim habere non possent.

[4] 51^a. Nec *ipse* talem constructionem admittit, quippe cum in persona sit confusum. Omnes enim personas recipit, ut *ego ipse*, *tu ipse*, *ille ipse*, et *ipse lego*, *ipse legis*, et «Iupiter ipse monebat» (Verg. *Aen.* 7, 110).

In constructione uero partitiua sit necesse quod personae certae diffinitaeque partesque etiam determinatae sint, quod in *ipse* tanquam epithematio, id est appositiuo et omnium personarum receptiuo, dici nequit.

LXXVIII. De superlatiuo gradu et eius regimine.

[1] 52. Superlatiuum cum genitiuo plurali uel singulari nominis collectiui eiusdem tamen speciei uel naturae non autem diuersae ex ui superlatiui gradus uel partitionis construitur, ut *ego sum laboriosissimus Barcinonensium uel Catalanae gentis*; *tu es agillissimus Hispanus Hispanorum gentisue Hiberiae*. (2) Nec abs re dictum est *eiusdem specie uel naturae*, nam cum genitiuo diuersae naturae haec locum, non habet constructio. Vnde si Catalanus diceret *ego sum Graecorum fortissimus*, uel *gregis ouium* uel *armenti boum tu homo es sapientissimus* uel *robustissimus*, incongrue loqueretur. (3) Superlatiuus enim sub dispositione partis ad totum se habens in ratione principii dicit excessum. Cum autem genitiuus rei dicat principium, superlatiuus ipse cum genitiuo construitur ipsumque totum in genitiuo plurali dicente principium ponit, sed et ipse genitiuus rem eiusdem naturae et non diuersae debet dicere. (4) Nam superlatiuus genitiuusque hic ut pars et totum, quae semper eiusdem naturae sunt, se habent. Ideo superlatiuus cum genitiuo significante totum diuersam tamen naturam importante construi non debet. Nam et Priscianus ait quod si diceretur *Sortes est fortissimus hominum* oportet quod sit homo. Iccirco inconueniens sequeretur, nisi eiusdem naturae essent.

[2] 53. Petri Heliae sententia *homo est fortissimum animal* dici potest. Cuius causa solet assignari quia secundum intellectum sensus est homo est fortissimum animal animalium. Alii tamen putant quod dicatur *fortissimus*, sed prima uerior uidetur esse opinio. (2) Superlatiuus enim cum genitiuo quocum construitur, semper in genere debet esse conformis, quandoquidem superlatiuus ad genitiuum illum, ut pars ad totum, respectum habet, nec cum eo potest construi, nisi quia pars eius sit. Ideo partem explicare debet, ut *homo est fortissimum animal animalium*. Quare conuenientius *fortissimum* quam *fortissimus* dicitur.

[3] 54. Quodcumque positiuus cum unico genitiuo construitur, superlatiuus construitur cum duobus, nam cum uno ex ui naturae gradus, cum altero autem ex ui positiui. siquidem Prisciano teste (18, 32), quancunque constructionem positiuus de sua natura habet eandem comparatiuus superlatiuusque sibi praeter propriam uendicant, ut *ille solet esse ditissimus regum nemorum*, sed hic inter hos duos genitiuos poni non debet coniunctio. (2) Haec enim ad faciendum unum tenentur diuersa coniungere. Itaque si poneretur ibi, uideretur quod illa duo diuersa regimina in unum eandemque naturam regiminis copularet, id quod esse non potest. (3) Enimvero si talis exponatur constructio, fiet regiminis declaratio, ut *ditissimus nemorum regum*, id est ualde diues nemorum, quasi reges alii, sic genitiuus *nemorum* remanet, et ab ipso positiuo diues gubernatur. *Regum* uero non remanet genitiuus, et sic inuenitur quod genitiuus remanens a positiuo ex ui ipsius positiui regatur; alter uero a superlatiuo ex ui gradus. Et sic est perspicuum per quam naturam uterque regatur genitiuus. (4) Hae tres regulae per *Doctrinale*, capitulo octauo, confirmantur (8, 1.178-82):

«Da gradui summo genitiuum plura notantem
Est Salomon populi ditissimus atque uirorum.
Iste gradus geminos quandoque regit genitiuos

Esse solet nemorum regum ditissimus ille

Expositum poterit regimen tibi notificare».

(5) Super hac constructionis expositione simile in principio regiminis ablatiui *Doctrinale* dicit (8, 1.128-29):

«Tres notat esse gradus, qui comparat, inde notabit

Multimodum regimen, qui rem discernit aperte,

Ditior est auro sapiens Salomone Sibilla,

Per *magis* expone regimenque uidebis aperte

Est auro diues regina magis Salomone».

[4] 55^a, ut comparatiuorum superlatiuorum constructio breuiter et absolute habeatur dari potest, quod comparatiuus connumerando se cum illis, cum quibus comparatur, cum genitiuo ex ui partitionis construatur, ut *Achilles Graecorum fuit fortior, ut Caesar Romanorum praeclarior*; secus si remoueat se ab illis. Et ita comparatiuus partitiue cum genitiuo plurali construitur, quando inter res eiusdem generis fit comparatio, ut supra, in regula 45 et 46 dictum est. (2) Alioquin cum ablatiuo copulatur, ut *Hector Graecis sapientior et Achilles Troianis erat robustior*. Item comparatiuus nominatiuum cum nominatiuo, interposito *quam*, comparat, ut *ego sum laboriosior quam tu*, et haec in obliquis locum habent, ut *deus misereatur mei, humilioris te* et *Hectoris quam Achilles maior fuit prudentia*. (3) Deinde superlatiuus cum genitiuo plurali uel singulari nominis collectiue eiusdem generis seu naturae ex ui gradus uel partitionis coniungitur ut *Catalanus ille est omnium Catalanorum et gentis Catalanae fortissimus*; sed et positiuorum constructio etiam praeter propriam comparatiuus superlatiuisque seruatur, ut *ego sum ditior scientia pluribus facientibus pecuniam*, et *Salomon regum sapientiae et pecunia fuit uberrimus*. (4) Ad huius regulae confirmationem, Priscianum libro III^o, capitulo de nominis comparatione adduco, et 2^o minoris, § *Comparatiua*, carta III^a, ubi scite sic inquit (18, 16): «Comparatiua quoque et superlatiua Graeci genitiuo adiungunt, nos autem quidem comparatiua ablatiuo, ut *fortior Achilles Hectore* Superlatiua uero genitiuo, ut *fortissimae gentis*, de quibus latius in III^o libro de nominis comparatione dicentes tractauimus». (5) Vbi glosa dicit ordinaria: «Hic ponit tertiam constructionem genitiui, quae debet fieri ex ui partitionis, et dicit quod Graeci comparatiua et superlatiua iungunt genitiuo, sed nos comparatiua ablatiuo et superlatiua genitiuo addimus, ut *fortissimus istorum*, ita quod idem construi cum genitiuo substantiam significante».

[5] Idem in eodem, § *Maxime*, carta V^a, dicit (Prisc. 18, 23): «Maxime autem quando ad gratiam uel utilitatem alicuius uel contra aliquid fieri uolumus significare datiuus utimur, Lucanus in 2^o (2, 388):

"Vrbi pater est urbique maritus"

id est ad utilitatem urbis et pater fieri passus est et maritus. (2) Similiter ego possum dicere *fortis patriae sum et multis fortior patriae sum et hominum utilissimus patriae sum et cunctorum piissimus patriae sum*. Nam positiuorum constructio etiam comparatiuus et superlatiuus seruatur extra suam illorum constructionem quam habent in comparando».

[6] Idem in eodem, carta VI^a, § *In comparationibus*, sic ait (Prisc. 18, 32): «In comparationibus quoque ablatiuos ponimus pro genitiuos, ut *Scipio fortior Hannibale*. Licet autem et nominatiuum cum nominatiuo interposita *quam* comparare, ut *fortior Scipio quam Hannibal*, et quod saepe superatus donamus flexis quoque in obliquos casum nominatiuis, eadem constructio obliquis quoque casibus seruatur, ut *fortioris Hectore Acchillis maxima uirtus fuit*, et *Scipionis quam Hannibalis mirabilior strenuitas erat*. (2) Necessae est autem omnia causalis eosdem casus in eadem structura seruare siue coniungantur, quod supradictum est, nominibus, siue pro eis sint posita. Et pronomina quidem loco nominum etiam per se posita inueniuntur. Ideoque constructionem eorum sibi defendunt, ut *gloriosus ego sum doctrina, laudabilis est ille fortitudine*».

[7] De constructione adiectiui inter duo substantiua diuersorum generum collocati et uerbi sibi inter duos rectos substantiuos uariarum numerorum siti, et uerbi substantiui uocatiuique inter duos rectos substantiuos positi, et de substantiui adiectiuique natura eorumque in tribus conuenientia, et de nominis adiectiui triplici acceptione deriuationeque, et de substantiui adiectiuique in solo genere consonantia in reliquis uero discrepantia, quae cum impropria relatiuorum constructione quoad doctrinam traditam et habendam magnam uicinitatem habent; (2) et de relatiuo duplici grammaticali, scilicet logicalique, et de relatiuorum logicalium regimine, et de substantiuorum logicalium duplicium consideratione, et de partitiuorum natura et regimine, quibus etiam comparatiua et superlatiua sunt adiecta, quae quidem omnia ad principalem pronominum secundamque eorum declinationem

sequentium naturam faciunt, satis et plusquam satis scripsisse reor. (3) Deinceps ad relatiuorum grammaticalium constructionem etiam impropriad regrediar, quibus etiam aliqua ad principalem pronominum naturam facientia copulabo, ut quoad fieri possit, nihil utilitatis praetermissum uideatur.

LXXIX. De relatione personali et simplici.

[1] 56^a sit igitur regula quod duplex grammaticalis relatio legitur: personalis scilicet et simplex siue impersonalis, quod idem est. Personalis est relatio quando relatum sub identitate numerali refert antecedens, id est quando idem in numero cum eo antecedente facit, ut *Petrus currit, qui disputat*. Hic enim relatum *qui* et antecedens *Petrus* pro eodem supponunt in numero. (2) Simplex autem est relatio quando relatum sub speciei identitate refert, ut *femina quae damnauit saluauit*. Hic enim relatum *quae* feminam damnantem refert, sed pro eadem in numero non supponit, quinimmo pro ea quae saluauit. Illa uero quae saluauit et ea quae damnauit non eadem sunt in numero, se duntaxat in specie, quae est femina sumpta utiliter quam mulieres omnes participant, relationem facit.

[2] 57^a, ut sciatur unde duplex relatio haec dicatur dari potest, quod personalis relatio dicitur, a persona, quae hic nihil aliud est nisi res indiuidua propriis accidentibus circumscripita, nam persona, testante Boetio, est indiuidua rationabiliter creaturae essentia. Accidentia uero personam circumscribentia sub hoc uersu continentur:

«Forma, figura, parens, loca, tempus, patria, nomen».

(2) Noscere personam nobis haec ipsa recludunt, haec enim accidentia rem indiuiduant eamque singularem esse declarant. Vnde breuiter dici potest quod hic persona est speciei indiuiduum. Ideo quando relatum talem personam refert, relatio personalis esse debet. Relatio uero dicitur simplex seu impersonalis eo quod sine plica, id est collectione supradictorum fiat accidentium. (3) *Simplex* enim a *sine plica*que componitur, quasi sine plica. Et dicitur impersonalis propterea quod huiusmodi priuatur accidentibus, quae rem indiuiduant, personamque efficiunt, quae hic pro indiuiduo speciei accipitur, tunc autem dictio pro forma simplici, ut pro genere uel speciei stare censetur. Haec igitur dictio si relatiue steterit, simplicem dicitur relationem facere, quippe cum pro forma communi teneatur, quare omnis simplicitas a parte formae, omnis uero multiplicitas ex parte est materiae.

[3] 58^a. Multoties in constructione simplex inuenitur relatio, ut *femina, quae uitae portam clausit eam reseruauit*. Hic enim *quae* formam commuem et simul indiuiduum sub intelligendo modo refert, ut sensus sit femina, id est res huius speciei, quae, id est quae res eiusdem specie, clausit portam uitae, reseruauit eam. Vel melius dici potest quod hoc relatum *quae* formam communem referat, et pro singulari indiuiduaque supponat. Aliud enim est referre aliudque supponere. (2) Siquis autem opponat quod forma communis referri non potest, communis enim forma neque clausit uitae portam neque reseruauit eam, solui potest, quod ob id talis constructio uel locutio figuratiua sit et impropria. Et scema generaliter assignari potest, cum proprium nomen figurae huiusmodi ignoretur.

[4] 59^a. Postquam hic constructio figuratiua est, ut in ceteris, tria quarenda sunt: quae sit improprietas, quae possibilitas, quae necessitas. Improprietas est in eo quod hoc relatum quae idem in numero cum antecedente esse deberet et sub numeri identitate referre, quod sub speciei identitate refert. (2) Possibilitas autem est quod relatum de natura sua nunc pro re indiuidua, nunc pro communi forma teneri potest, cum haec duo in se includat. Necessitas est sententiae expressio, ut res eo modo quo intelligitur conuenienti sermone exprimat. Is enim qui talem sermonem protulit, femineum genus communem dare uoluit et dicere ut id quod damnauit et id quod saluauit, in numero diuersa fuerint, idem tamen in specie. (3) Hoc autem nullo alio modo quam praesenti potuit exprimere. Nec quispiam credat quod talibus locutionibus uti liceat, sed eas ab antiquis positas, quoad melius poterit, sustineri et excusari debet. Harum quattuor regularum postremarum confirmationem *Doctrinale* cum suis commentatoribus ponit in nono (9, 1.449-50):

«Occurretque tibi quandoque relatio simplex
Femina quae clausit uitae portam reseruauit».

LXXX. De relatio ad antecedens subintellectum.

[1] 60^a regula. Quamuis relatiuum cum antecedente expresso seu secundum uocem iuxta artis praecepta debeat conuenire, tamen quandoque ad regulae antecedens subintellectum seu secundum rem seu generalem nomen figuratiue refertur, ut

«Praeneste sub ipsa»

apud Virgilium in VIII (*Aen.* 8, 561); (2) nam *ipsa* non ad Praenestem, quod nomen generis neutri, sed urbis est expressum, sed ad antecedens subintellectum seu secundum rem et generale nomen, scilicet ad urbe refertur, id quod in substantiuo et adiectiuo dici potest. Et etiam Lucanus ait in IX (9, 720):

«Et natrīx uiolator aquae»,

hic enim *natrīx*, licet proprie generis feminini sit, tamen uelut ad anguis speciem relatum est, generis masculini. (3) Priscianus enim dicit in V^o (5, 37): «In *-ix* si penultima breuis est masculina sunt, ut *hic calix, hic arīx*, excipiuntur *haec salix, haec filix*. Alia uero feminina sunt, ut *claxendix*,¹ quod significat concam, qua signum tegitur, *haec radix, haec matrix, cornix, lodix*, et omnia uerbalia, ut *hic nutrix, uictrix, meretrix, natrīx*, quod tamen, cum speciem anguis significat masculinum quoque inuenitur, ut Lucanus in IX (9, 720):

"Et natrīx uiolator aquae".

(4) Potest et hoc tamen et figurate ad serpentem uideri redditum, quod etiam feminini generis profertur, ut idem (Luc. 6, 407-408):

"Hinc maxima serpens Python",

sicut (*Aen.* 8, 561)

"Praeneste sub ipsa".

Obstetrix quoque pro *obstītrix*; excipitur *hic fornix*, quod quamuis positione longam habuit penultimam tamen masculinum est».

[2] Idem in 7^o, ubi de ablatiuo terminatorum in *-e* dicit (6, 56): «Propria eiusdem terminationis, scilicet *-e*, similem habent nominatiuum ablatiuo: *hoc Praeneste, ab hoc Praeneste*, Virgilius in 8 (*Aen.* 8, 561):

"Qualis eram cum primam aciem Praeneste sub ipsa".

Figurate enim ad urbem reddidit ipsa, cum proprium oppidi neutrum sit, quomodo Reate. Idem poeta in VII (*Aen.* 7, 682):

"Quique altum Praeneste uiri, quique arua Celemni".

[3] Idem primo minoris, ubi de allotheta, § *Illud tamen*, uersiculo *Diuersa genera*, uide supra, libro 3^o, § *Cum autem hic Salustius*, uersiculo *Diuersa genera*, ibi (Prisc. 17, 158): «Diuersa genera similiter construuntur. Virgilius in *Bucolicis* (3, 82):

"Dulce satis humor"».

(2) Et infra: «Virgilius in VIII^o (8, 561-62):

"Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Straui".

Cum enim nomen oppidi proprium sit Praeneste, ad intellectum urbis reddidit *sub ipsa*. Quomodo Terentius in prologo *Eunuchi* (32):

"In Eunuchum suam"

dixit, ad comediam referens pronomen». (3) Haec etiam *Doctrinale* confirmat in IX (9, 1.451-53):

«Ad partem uocis de urbe relatio fiet

Extra saepe tamen quaeres ad quod referatur

Rex est Carnoti patriae quae preualet omni».

[4] 61^a regula. Quod in huiusmodi locutionibus figuratiuis ut Terentii in *Eunuchum suam* et Virgiliti *Praeneste sub ipsa* et *Doctrinalis Rex est Carnoti patriae quae preualet omni* est improprietas, possibilitas et necessitas. Improprietas est eo quod sit ibi generum discrepantia. (2) Possibilitas est causa quare fieri potuit, nam Terentius per *Eunuchum* potuit nomen generale, scilicet comoediam, intelligere, et Virgilius per *Praeneste* urbe, et *Doctrinale rex est Carnoti quae preualet omni patriae* generale nomen, scilicet in urbe uel

¹ *Glossa* Claxendix secundum expositorem antiquum conca est quae fortes continet, per quas arma dabantur militibus, quippe qui ad bellum mittendi erant sortibus eligebantur. In nullo alio loco nec in *Catholicon* nec in *Compraensorio* nec in *Alfonsina* nec in Ioanni Aretino potui reperire.

uilla Carnoti. Necessitas est expressio sententiae. Terentius enim per specialem nomen intellexit generale, quod maius, dignius est et amplius. (3) Virgilius uero et Alexander de Villa Dei declararunt quod licet Praeneste et Carnotum generis sint neutri, cuiusmodi nomina arcium seu castrorum conseruerunt esse, tamen hic non castrorum nomina, sed oppidorum essent, et ita locorum fama esset celebrior. Hic autem scema uel allotheta nomine generali propter generis uarietatem dari potest.

LXXXI. De pronomibus relatiuis et demonstratiuis genitiuum pro nominatiuo suscipientibus.

[1] 62. Pronomina relatiua saepe et demonstratiua quandoque in nominatiuo posita post se genitiuum pro nominatiuo suscipiunt, quibus *quis* uel *qui* potest adiungi, ut *ille* uel *iste* uel *hic hominum bonus est*, pro *ille* uel *iste* uel *hic homo bonus est*. Ad hoc uide quod in hoc 5^o, 48^a regula, cum tribus regulis sequentibus explanari, ubi alia habetur consideratio. (2) Item *hoc olei* pro *hoc oleum*, et *id temporis* pro *id tempus*, et *quis hominum* pro *quis homo* et *qui hominum* pro *qui homines* et *quid equorum* pro *quot equi*. Et haec per antiptosis figurate fiunt. Terentius in *Andria* (744-45):

«O dii immortales, quid turbae est? Quid illic hominum litigat»,

pro *quot homines*. (3) Cicero in prohemio *Ad Herennium* (1, 1): «Et id ipsum quod datur ocii libentius in philosophia consumere consueuimus». Virgilius primo *Aeneidos* (1, 78):

«Tu mihi quocunq; hoc regni»,

pro *hoc regnum*. (4) Priscianus primo minoris, § *Illud tamen*, uersiculo *Diuersi quoque casus*, hoc confirmat sic inquit (17, 160): «Diuersi quoque casus pro casibus tam a nostris quam a Graecis figurate saepissime ponuntur», ubi non nulla ex praedictis exemplis inuenies. Deinde Petrus Heliae et expositor antiquus et modernus in allothetae materia, et *Doctrinale XII^o* capitulo.

[2] 63. Quando antecedens relatiuo suo immediate praesidet, quandoque in casu simili iungitur, licet coniungi debeat in diuerso, sed talis nobis non est seruanda relatio, sed inuenta defendi debet, ut *sermonem quem uos audistis uerus habetur*. Hic enim *sermonem* antecedens in casu simili cum relatiuo *quem* immediate coniungitur, tamen *sermo* rectius diceretur. (2) Idem habetur apud Terentium in prologo (*Andr.* 3):

«Fabulas quas fecissent populo placerent»,

et apud Virgilium primo *Aeneidos* (1, 573):

«Urbem quam statuo uestra est».

(3) Haec regula Prisciani, Petri Heliae, utriusque expositoris in praeallegatis locis, et *Doctrinalis* in IX^o sententia confirmatur, quod ait hoc modo (9, 1.454-56):

«Saepe relatiuo conformari reperitur

Praecedens, illi cum possideret immediate:

Sermonem quem uos audistis uerus habetur».

[3] 64. Huiusmodi locutiones, *sermonem quem uos audistis uerus habetur* et *urbem quam statuo uestra est*, et similes figuratiuae sunt et per antiptosis excusantur, cum accusatiuus pro nominatiuo ponatur, et ideo hic improprietas, possibilitas et necessitas assignari debent. (2) Improprietas per se nota est, nam ponitur accusatiuus ubi nominatiuus esse deberet. Hic enim uerbum *est* nominatiuum supponentem sibi non habet, nec adiectiuum *uerus* substantiuum in casu conforme. Possibilitas est nam realiter idem nominatiuus accusatiuusque significant. Ideo fuit possibile quod unus pro alio surrogetur. (3) Necessitas autem fuit ad maiorem identitatem declarandam, nam relatiuum et antecedens in eodem casu ponuntur, ut sermo Christi et summi patris idem notaretur et sermonis urbis uoluntatis Didonis et Carthaginensium cum Troianis identitas haberetur. Item in eodem casu et non in diuersis fit constructio, ne propter accidentium diuersitatem sermonis uel urbis uobis uoluntatis diuersitas putaretur.

[4] 65^a. Huiusmodi accusatiui *sermonem* et *urbem* a uerbo *est* reguntur, nam cum eo construuntur, uel propterea quod uerbum personale quandoque cum accusatiuo loco nominatiui figuratiue et improprie positum ordinatur. Siquis autem diceret hoc esse impossibile, daretur responsio quod id uerum esset, si proprie loqueremur, tamen hic accusatiuus supponens sed positus loco nominatiui. De hoc infra, regula 195^a, uide, ubi loquendi modus oratorum antecedens relatiuo postponentium additur.

[5] 66. Relatiuum cum antecedente dupliciter iungi potest, uno modo cum aliquo medio, et sic nunquam nec in genere nec in casu reperitur difformitas, ut *Ioannes proficit qui studet*. Secundo modo sine

medio, et hoc dupliciter aut sub conformitate casus, ut *amo scientiam quam omnes debent colere* et in proposito locum non habet talis oratio, aut in eodem casu, cum poni deberet in diuerso, ut hic habetur, quod tamen usus communis non admittit. (2) De harum 62, 63, 64, 65 et 66 regularum posteriorum materia primo minoris Priscianum et commentatores eius et per *Doctrinalem* in IX, ibi: *Saepe relatiuo*, cum ibi glosantibus, et supra, in hoc libro, § *Antiptosis uera*, habetur plenissime (supra 5, 44, 1).

[6] 67. Genitiuus nominis adiectiui quandoque in casus, generis et numeri uarietate possessiuo coniungitur propter genitiuum primitiui subintellectum, ut

«*Mea defunctae da molliter ossa cubare*» (*Doctrinale* 9, 1.459; cf. *Ou. Am.* 1, 8, 108)),

hic enim *defunctae* genitiuus nominis adiectiui est, qui cum *mea* in omnium accidentium diuersitate coniungitur, sed hoc propter genitiuum *mei* primitiui intellectum. Sensus enim est *mea defunctae*, id est *mei defunctae*. (2) Siquidem et in omni alio primitiui genitiuus intelligitur, qui sane genitiuus cuiuslibet generis esse potest. Exemplum uero cuiusdam mulieris ad Ouidii uxorem loquentis fuit. Simile apud Boetium, in primi *De consolatione* reperitur (1, 1, 7-8):

«Gloria felicitis olim uiridisque uiuente
Solantur moesti nunc mea fata senis».

(3) Nam et hic genitiuus adiectiui, scilicet *moesti*, cum possessiuo, scilicet *mea*, cum diuersitate praedicta copulatur. Sic enim facienda est constructio: *Solantur fata mea moesti senis*, seu *fata senis moesti mea*, id est *mei senis moesti*

[7] 68. Constructio sic facta non propria, sed impropria et figuratiua est, et est ibi antiptosis seu allotheta magis, quippe cum sit generis, numeri casusque confusio. Vnde *Doctrinale* dicit in XII^o (12, 2.404):

«Confundit casus, numeros, genus alleotheta».

[8] 69. In huiusmodi constructione uelut figuratiua est improprietas, possibilitas necessitasque. Improprietas quia adiectiuum cum possessiuo sub trium accidentium discrepantia ordinantur. Possibilitas est quia, Prisciani sententia, possessiuum sui primitiui genitiuum intelligit, qui quidem genitiuus generis omnis est substantiuique re tantum, et ideo propter possessorem non autem possessionem sibi copulare potuit adiectiuum. (2) Necessitas fuit sententiae expressio, nam in illo uerso

«*Vt mea defunctae*»

loquens uoluit exprimere quod ossa forent sua possessio. Ideoque *mea* protulit. Posthac significare uoluit quod ossa non decederent, sed persona sua, cuius et defunctae ossa essent possessio. Itaque *defunctae* dixit. (3) Ad huius autem exempli noticiam est sciendum quod mulier quaedam ad Ouidii uxorem loquens rogabat eam, ut ipsa pro se intercederet sic inquiring: *O domina, pro me orabis ossa mea defunctae molliter* -id est sine poena- *cubare* (cf. *Ou. Am.* 1, 8).

(4) Itidem Boetius denotare uoluit fata suam possessionem esse et se proprie non fata consolationem accipere. Nec omitti debet:

«Lenam quandam uni puellae dixisse:
Si facies quod egi tibi dico, saepe rogabis:
Vae mea defunctae mollius ossa cubem».

(5) Ad harum trium postremarum regularum noticiam confirmatam, *Doctrinale* in IX^o cum suis glosatoribus facit, ibi (9, 1.458-59):

«Inuenies iunctum possessiuo genitiuum
Vt *mea defunctae da molliter ossa cubare*».

LXXXII. Possessiuum de possessore possessioneque constituit intellectum.

[1] 70^a regula est. Possessiuum de duobus, ut de possessore possessioneque, constituit intellectum, et uterque pars significati dici potest, et primitiuum nomen *patrem* possessiui ab eo deriuati recte possumus appellare. Et deriuatiua pronomina duas personas, possessoris possessionisque intelligunt. (2) De hoc per Priscianum commentatoresque ipsius in XII^o primoque minoris, et per *Doctrinale* in primi fine capituli. Dixi supra, libro I, § *Tempestiuum est*, uersiculo *Sciendum autem*, plene de persona docens (1, 15, 1).

[2] 71. Relatiuum nomen ad possessiuum pro parte significati sui, scilicet pro possessore seu pro *patre*, id est primitiuo suo intellecto, ibi saepe relatione facit, ut (*Doctrinale* 9, 1.461)

«Mea scripta legis, qui sum summotus ad Istrum»² (cf. Ov. *Pont.* 3, 4, 9).

Hic enim *qui mea* ratione partis, id est possessoris sue ratione *patris*, id est primitiui, scilicet mei, refert. Primitiuum enim *pater* possessiui est.

[3] 72. Talis constructio non congrua sed impropria et figuratiua est, et antiptosis seu allotheta assignatur, cum relatiuum *qui* ad antecedens *mea* sub generis numerique disconuenientia referatur.

[4] 73. In hac constructione figuratiua tria consueta: scilicet improprietas, possibilitas necessitasque concurrunt. Improprietas iam dicta est. Possibilitas est quia in possessio possessor intelligitur, *qui* generis omnis est et numeri singularis et relatiuum ad possessorem importatum quoque, sed conuenienter seu secundarie non ad possessionem principaliter denotatam refertur. Ideo *qui* in genere masculino et numero ponitur singulari, sed ad *mei* primitiuum in *mea* subintellectum referendo. (2) Necessitas uero sententiae fuit expressio. Ouidius enim, dum erat in exilio, ad Romanum quendam eius scripta legentem scribens, significare uoluit quod scripta sub ratione possessionis sua forent. Ideoque *mea* dixit, sed denotare uolens quod ipse cum scriptis non esset, immo scriptis fuisset ab eo remota, qui iuxta fluuium Istrum esset, subiecit (Ov. *Pont.* 3, 4, 91)

«Qui sum summotus ad Istrum».

(3) Hae quattuor regulas a *Doctrinali* in IX^o cum *ibi* glosatoribus robur accipiunt. Is e nim sic inquit (9, 1.460-61):

«Saepe relatiuum pro *patre* refertur ad ipsum,
Vt "mea scripta legis qui summotus ad Istrum"».

[5] 74. Antecedens in locutione quandoque ponitur a regimine absolutum uel ob id tantummodo collocatur, ut relatiuum ad id sub certitudine referatur, ut *baculus* et *uirga ipsa me, deus, glosata sunt*. Et *Catholicon* in primo: «*Conscius* ipse sibi de se putat omnia dici. In his enim locutionibus hi nominatiui *baculus* et *uirga*. Item et *conscius* non reguntur nec alia de causa copulantur, nisi ut relatiua *ipsa* et *ipse* reperiant, ad quae certo referri possint. Nec quispiam quod a uerbis *sunt* et *est* reguntur, unde relatiuorum fluit gubernatio». (2) Regula nanque Prisciani est quod nunquam relatiuum et antecedens ab eo uerbo reguntur in numero, nisi relatiuum reciprocum fuerit, ut *iste uidet se*. Et in multis aliis idem inuenitur, ut *dominus in caelo sedes eius*. Hic enim *dominus* absolute ponitur, nec ad aliud comparatur, nisi ut uiam et relationis certitudinem relatiuo paret. (3) Haec 74^a regula a *Doctrinali* in IX^o, cum suis glosatoribus roboratur, ubi sic habetur (9, 1.462-64):

«Ponis ob id solum praecedens saepe quod inde
Certa relatio sit: *tua uirga deus baculusque,*
Ipsa uerae praebent solacia uitae».

[6] 75. Quod et in his orationibus est improprietas, possibilitas et necessitas. Improprietas est in eo quod nominatiuus antecedentis absolute ponatur. Nominatiuus enim secundum Petrum Heliae modum habet, ut de eo quid dicatur et semper id respicit, quod de eo dicitur. Hoc autem est appositum. (2) Item in eo nominis prima fit impositio, cum ab ipso actio egrediatur et passio. Cum igitur nominatiuus habitudinem habeat, ut de eo quippiam actus diceretur, poni proprie non poterit absolute. Inde fit improprietas, cum suo modo priueretur et sic eclipsis erit. (3) Possibilitas est quia uerbum in oratione, ut uel positum uel intellectum potest intelligi, quare licet non ponatur, tamen intellectum potest intelligi. Vel dic quod res per nominatiuum denotata dupliciter considerari potest: absolute, ut de eo aliquid non dicatur, uel compare, ut de ipso fiat commemoratio. (4) Necessitas hic a plerisque assignatur, ut id habeat sequens relatio, ad quod sub certitudine referatur, et ad unionem identitatem summam inter antecedens et relatiuum denotandam. Et ideo uerbum inter antecedens et relatiuum non fuit appositum, ut inter ea aliqua separatio notari non posset. (5) Quidam putant illa in oratione *baculus et uirga ipsa me glosata sunt* nominatiuum absolute poni, ut operum dei notaretur absolutio. Operationes enim dei absolutae et independentes sunt, et per se esse habent. Aliqui arbitrantur quod Dauid uolens talem discretionem exprimere, ut diuina plura alia glosarentur eum, tamen haec duo principalius: uidelicet *uirga*, id est correctio, et *baculus*, id est sustentatio. Ad hoc quod exprimendum uerbum tale dixit. (6) Nominatiuus autem hic potius quam casus alius ponitur, ille nanque secundum Priscianum intransitiuus est, et a nullo casu inflectitur, quod reliqui non habent, et ob id absoluti modum potius

² *Glossa Ister* absque aliqua aspiratione et *-i* latino in inicio scribitur. Est maximus fluuiorum Europae alio nomine uocatus *Danubius*, ut Ouidius libro I *De Ponto* (1, 8): «*Ripae uicina binominis Ister*». Tortellus. Quem si uide Plinium allegantem, libro IIII *Naturalis Historiae* describentem plene (4, 42).

quam alii casus habere censetur. Quamuis autem minus est proprie dictum esse uidetur, sed *uirgula* et *baculus ipsi me* et non *ipsa* diceretur, nam generum conceptione factas saltem cum uno in genere esset conuenientia, tamen in neutro ipsa dictum sit. Neutrum enim maris et feminae abnegationem dicit. Et ita notaretur quod non magis ab uno eorum quam ab altero glosatio caperetur. (7) Cum igitur neutrum aequaliter ad marem feminamque se habeat, ad id exprimendum in neutro genere posuit *relatiuum*. Nam si masculino in genere posuisset, se magis a *baculo* quam a *uirgula* glosationem suscepisse declarasset ad aequalitatem igitur demonstrandam aptius fuit, ut neutro genere uteretur. (8) Itaque dicendo ipsa fit antiptosis. Est enim generis pro genere possessio uel allotheta poterit assignari, et sic improprietas nota est. Possibilitas est quis neutrum genus ad utrumque aequaliter se habet. Necessitas est ad aequalitatem correctionis et insustentationis declarandam, ne magis ab uno quam ab altero Dauid glosatione suscepisse uideatur.

[7] 76. *Relatiuum ad nomen adiectiuum et ad uerbum saepe reperitur referri, ut piger es, aut fugis, quod procul a me abhorreat. Hic enim quod ad piger es fugisque refertur, nam ad utrumque sane. Sensus enim est: tu piger es, quae pigricia a me longa sit, aut fugis, quod fugere procul a me distet. Item tu saepe inambulans, quod sanissimum est. Insuper diligens es, quod omnes ualde probant.*

[8] 77. Haec locutiones sunt impropriae, et hic soloecismus esset si excusari non possent, tamen per scema possumus excusare.

[9] 78. In his quoque ipsis improprietas, possibilitas, necessitas assignatur. Improprietas est aperta, nam *relatiuum* uel uerbum uel adiectiuum refert, quae res independentia denotant, cum ipsum substantiae *relatiuum* sit et modum per se stantis habeat. Deinde *relatiuum* et antecedens in accidentibus conuenire debent, et non faciunt. (2) Possibilitas est quia uerbum bifariam considerari potest: uno modo quantum ad modum eius qui inherens est, et propter hunc non fit relatio; secundo modo quantum ad rem uerbi, quae nominaliter intellecta est, et hoc respectu potest fieri cum ipsa res uerbi nomen sit. Similiter et in adiectiuo duplex est consideratio: prior est modi inherens, et hoc modo non fit; altera est essentiae ipsius accidentis quae pro modum significat substantiae, ut *albedo*, et hac ratione fieri potest relatio. (3) Necessitas autem est sententiae breuior expressio. Is enim qui talem sermonem composuit, exprimere significareque uoluit aliquid cuiusdam inherere. Il autem ipsum sibi non inesse. Et hoc breuius quam per hunc sermonem promere non ualebat.

[10] 79. Hic quoque in neutro genere ponitur *relatiuum*, ut *bonus es, pro quo maxima consequeris, et saepe legis, quod reor utilissimum*. Res enim nominis adiectiuum uel uerbi sub utriusque generis proprietate potest intelligi. Harum quattuor regularum materia *Doctrinale* in IX, cum suis glosatoribus disserit, ubi sic ait (9, 1.465-66):

«Ad uerbum saepe uel ad adiectiua *relatum*
Inuenies: *fugis aut pigeres, mihi quod procul absit*».

LXXXIII. De antecedente et relatiuo.

[1] 80 regula. Vox bifariam considerationem recipit: aut enim quantum ad se ipsam significationis immunem, aut quantum ad significatum representatum ab ipsa. Et ideo *relatiuum* uocem referre potest, licet eius antecedens significatiue ponatur, ut *Christicola Christum colat, quod a Christo coloque componitur*. Hic enim *relatiuum quod* id antecedens *Christicola* solum pro uoce refert, quamuis ipsum antecedens ibi suum significatum representet.

[2] 81. Dictio dicitur significatiue poni, quando sermo de ea re fit, cuius uox dicitur significatiua esse. Sed dicitur materialiter collocari, quando de sola uoce quae est dictionis materia habetur consideratio, et ob id materialiter poni fertur, quod de uoce sermo fiat, sicut ex materia fit aliquod. Petrus quidem Heliae profitetur uocem materiam dictionis esse.

[3] 82. In antecedente duo, ut uox et significatum, sunt et horum utrumque profecto *relatiuum* referre potest, sed hoc quidem fit proprie, nam pro quocumque supponit antecedens, hoc *relatiuum* referre debet, alterum solum quandoque refert, sed tunc improprie. Cum autem talis relatio sit confusa, *relatiuum* in neutro genere ponitur, quod magis est confusum.

[4] 83. Vniuersaliter in unaquaque dictione dicimus duo, uocem scilicet et significatum, esse. Et ita contingit dupliciter de dictione loqui: aut de uoce, habito ad significatum respectu, ut *magister legit*, et hoc modo significatiue tenetur; aut de uoce in se tantum, ut nulla tunc de significato sit consideratio, ut *magister est trisyllabum*, et tunc quidem teneri materialiter est dicendum. (2) Sed et tunc de ea duplex

respectus haberi potest: unus absoluendo eam a significato et a significandi modo generali especialique per quem dictio habet esse, et sic in proximo exemplo *magister est trisyllabum*, et in eo ipso *magister terminatur in -er* fit consideratio. (3) Aliter autem est loquendo de uoce remote sub generali significando modo, per quem pars orationis esse potest, et prout tali significandi modo informata est, sine significati representatione, ut *Musa est nomen, ego est pronomen et amo est uerbum*. Et sic quoque materialiter collocatur. Vnde quaelibet pars informata tali significandi modo, non habito ad significatum respectu, respectu sui superioris potest supponere.

[5] 84. Relatiuum materialiter positum quandoque ad antecedens sumptum significatiue refertur, ut *dat deus aureolam, quod nomen habetur ab auro*. Hic enim relatiuum *quod* materialiter ad *aureolam* significatiue existentem refertur; *aureola* nanque pro significato, sed non pro uoce supponit. (2) Sensus enim est quod deus re significata per hoc nomen *aureola*, et non uoce, aureola martyres, uirgines magistrosque sacrae scripturae donat; sed de relatiuo sit e contrario, ut pro sola uoce teneatur. *Aureola* nanque quo ad uocem non quo ad significatum ab hoc nomine *aurum* uenit, et ita pro sola uoce tenetur, quod teneri materialiter uulgo appellatur.

[6] 85. *Aurea* ab *auro* simul et *aureus*, *-a, -um* ueniunt, sed *aurea* ab *auris* frenum est, eo quod in aures et contra eas ponatur. *Aurea* frenat equos, est aurea nobile nomen. *Aurea* uero ab *auro* secundum theologos est praemium quoddam quod essentiale dicitur, in dei uisione consistens. (2) *Aureola* uero, diminutiuum de *aurea*, est praemium accidentale quoddam quod martyribus et doctoribus et praedicatoribus scripturae sacrae uirginibusque debetur, quod etiam sacrorum scriptoribus competit. Vnde sicut his datur aureola, sic aliis aurea indistincte. Et ut *aurea* dicitur ab *auro* ualore sui, ita diminutiue ab *aurea* *aureola*, quia in participatione fit diminutio. Duntaxat enim aureolam martyres, uirgines, sacrorum doctores, praedicatores scriptoresque participant. Super hoc *Catholicon* in *aura, aureola et uirgo* uide.

[7] 86. Quando relatiuum quo ad uocem tantum refertur ad antecedens significatiue existens est improprietas. Cum enim relatiuum sit antelatae rei recordatiuum ad antecedens eo modo quo significatiue referri debet. Et ita pro eodem significato pro quo ponitur antecedens, relatiuum est locandum, sed cum antecedens notat unum, relatiuum uero aliud, magna est improprietas. (2) Possibilitas est quia uox dupliciter considerari potest, aut enim quoad se ipsam aut quoad significatum. Ideo licet antecedens significatiue extiterit, tamen relatiuum solam uocem referre ualet, ut hic in 80 regula dictum est. (3) Necessitas est sententiae exprimentae causa. Has enim locutiones faciens uoluit de ipsa uoce sermonem facere materiaeque naturam exprimere. Debuit igitur pro materia relatiuum existere.

[8] 87. Ad antecedens materialiter collocatum quandoque relatiuum significatiue refertur, ut *nomen equirria sit, nobis placet illa uidere*. Hic enim *equirria* materialiter ponitur, scilicet pro nomine quod in numero plurali tantummodo declinatum sub neutro genere ludos equorum quosdam significat. Dicitur enim ab *equus* et *irruo*, *-is*. (2) *Equirria* nanque ludi sunt qui ab irruentibus cum equis antiquitus fierent, sed post cum subiicitur *placet illa uidere*, hoc relatiuum *illa* significatiue tenetur. Sensus est enim quod nobis rem significatam, puta ludos illos, et non uocem, uidere placet. (3) Item si diceres *ludicra* nomen est secundum Laurentium Vallensem, libro I, capitulo III^o, per secundam declinationem declinatum, sed non per tertiam, licet Priscianus (7, 73) et *Doctrinale* (1, 257) scribant: «Homines iuuat illa conspiciere quippecum histrionicaeque scaenicae sint atque lusoria, a ludendo, dicta». (4) Ex his consequens est dicere quod sicut relatiuum materialiter ad antecedens significatiue repostum refertur, ita uice uersa relatiuum significatiue ad antecedens materialiter collocatum.

[9] 88. *Equirria* nullibi nec in *Papia* nec *Catholicon* nec *Compraensorium* nec *Alfonsina* nec *Tortello* nec Laurentio Vallensi repperi, sed duntaxat in *Doctrinalis* IX (9, 1.471):

«Nomen *equirria* sit, nobis placet illa uidere»,

ubi glossatores dicunt *equirria* quosdam ludos esse, qui cum equis fieri solebant antiquitus, et ab *equus* *ruo*que componitur. (2) Equis enim ruentibus fierent, et est neutri generis in numero plurali tantum, per secundam declinationem declinatum, ut *equirria, -orum*. Ego autem modo quo ad compositionem puto ab *equus irruo*que componi, et sic cum duplici *-r-* debet scribi. (3) Tunc syllaba positiones producit, quod metrum *Doctrinalis* atestatur, nam si de *equus ruo*que constaret, secunda breuianda foret. In X^o nanque *Doctrinalis* habetur eiusdem (10, 1.682-83):

«Compositum partis retinens in fine prioris
Hanc breuiat mediis».

(4) Seruius autem apud *Alfonsinam* scribit (?): «*Exquiria*, ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursus, qui in campo Martio exercebantur. Ita quod in *Alfonsina* per *ex* scribatur, et inter inchoantia per *ex* collocetur». *Catholicon* uero et *Compraensorium* ponunt: «*Equiricia*, *-ciae*, et armentum equorum et equarum est, et ab *equus*, *equi* dicitur».

[10] 89. *Ludicrum*, *-cri* neutrius generis, et *ludicus*, *-cra*, *-crum*, et *hic* et *haec ludicris*, et *hoc ludicrum*, et *hic* et *haec ludicres* et *haec ludicra*, et non *ludicria* secundum Priscianum in VII et *Doctrinale* in primo, a *ludo*, *-is* et in eodem sensu sunt, scilicet ludo plenus uel quod ludis geritur; unde *ludicrousus*, *-a*, *-um*, plenus ludis, ludibilis secundum Hugutionem. (2) Papias uero dicit: «*Ludicra* sunt ludorum carmina uel inhonesta uel turpia, quae in ludis geruntur, et corripit *-di-* naturaliter, unde in aurora *ludicra* dicturus ocia nostra uoces, secundum *Catholicon*. *Compraensorium* uero confirmat haec omnia ferme. Nec abs re *fermedixi*, quia nec Papias significat nec penultima quantitate commemorat. (3) Tamen penultima propter mutam liquidamque in metro produci potest. Virgilius in XII^o (*Aen.* 12, 764-65):

«Neque enim leuia aut ludicra petuntur
Praemia».

Vnde in X^o *Doctrinale* dicit (10, 1.699-1.700):

«Vocalem mediae breuiant si muta sequatur
Cum liquida, tamen hanc productam pone breuemque».

Seruius in XII *Aeneidos*, et apud *Alfonsina* ait: «*Ludicria uilia*, ludo digna». (4) Laurentius Vallensis *De elegantibus* libro primo, capitulo III^o, et ego in meo *Elegantiarum breuiario*, eodem libro et capitulo, scribimus: «*Ludicra* non a *ludicri* ablatiui casus tetiae declinationis esse, sed a *ludicus*, *-a*, *-um*, secundae tantum. Et *ludicrum* substantiuum non modo ludus histrionicus est et scaenicus, sed quocumque lusorium opus ac ioculare publicique ludi». Et ars ludicra est ars histrionica et scaenica, et quicquid nomine ludicri accipitur. (5) Ego uero nunquam recolo nec apud iureconsultos elegantissimos nec apud alios auctores ornatos me *ludicris* uel *ludicrem* uel *ludicribus* tertiae declinationis inuenisse, sed eos hoc uerbo duntaxat in secunda declinatione fuisse usos. (6) Nam, ut in eo *Elegantiarum breuiario*, praeallegato loco, adiicio: «Vlpianus in *l. I*, § *I*, secundum aliquos in principio *ff.*, *De his qui. no. infra.*, sic eleganter ait (D. 3, 2, 1): "Qui artis ludicrae pronuntiandiue in scaenam prodierit". Idem in eodem, *l. II*, in principio (D. 3, 2, 2) "Qui autem operas suas locauit, ut prodiret artis ludicrae causa, neque prodiit, non notatur". Idem in eodem, *l. III*, in principio (D. 3, 3, 3): "Athletas autem Sabinus et Cassius responderunt omnino artem ludicram non facere, uirtutis enim gratia hoc facere". Et in § *I*: "Designatores autem quos Graeci *hapnoac* (= βραβεύτω) uocant, artem ludicram non facere Celsus probat, quia ministerium non artem ludicram exerceant". (7) Multa alia loca et apud alios auctores in medium possem adducere, quae pro regularum natura praetereo, cum breuitatem poscant.

LXXXIV. De improprietate, possibilitate et necessitate locutionis nomen equirria sit, et cetera.

[1] 90. *Nomen equirria sit, nobis placet illa uidere* Haec oratio similesque magnam improprietatem habent. Cum enim relatiuum rei antelatae recordatiuum sit, quocumque significat antecedens, relatiuum referre debet, ut et hoc referat, prout supponit illud. Itaque si antecedens materialiter uel significatiue ponitur, eodem modo facienda est oratio. Et haec propria est dicenda. (2) Impropria uero si eo modo quo est non referatur antecedens, ut in proposito fit, cum ad antecedens positum materialiter relatiuum significatiue, id quod et econtra sit, ut in 84 regula est scriptum. Et ita scema uel aniptosis uel allotheta potest assignari. Cum aliena sit positio, aliene quidem ponitur relatiuum, nisi eo modo quo est referatur antecedens. (3) Possibilitas est quia in ipsa dictione duo, scilicet uox et significatum sunt, quae se, ut signum et significatum habent, ut plene, supra, in 83 regula, dictum est, quae hic pro repetita habeatur. Et ita de eorum altero fieri potest relatio. (3) Necessitas est, quia quod uideri non posset, cum igitur antecedens materialiter poneretur, oportuit ad expressionem sententiae, ut relatiuum pro significato supponeret.

[2] 91. Locutiones antedictae impropriae et figuratiuae sunt, et ideo rarissime usurpandae sed inuentae rationibus defendendae praelibatis. Harum XII regularum, scilicet ab 80 usque ad praesentem, fundamentum pleneque declaratio in *Doctrinalis* IX scribentibusque ibidem facile legi possunt. (2) Vbi breuiter sic *Doctrinale* canit (9, 1.467-71):

«Pro sola uoce supponit saepe relatum
Quamuis praecedens supponat significando:

Dat deus aureolam quod nomen habetur ab auro

Estque relatiuis praecedens materiale:

Nomen equirria sit, nobis placet illa uidere».

[3] 92. Multotiens relatiuum ad antecedens relatum proprium significatum mutat, ut *manus domini sunt crucifixae, quae fecere nos*. Hic enim *manus* significat manus materiales et humanas, sed dicendo *quae fecere nos*, hoc relatiuum *quae* significatum uariat et non pro humanis supponit, sed pro diuinis diuinaque potentia, quae nos fecit et formauit. Et ita fit significati permutatio, nam manus easdem non refert. Ideo quasi simplex uidetur relatio. (2) Sed haec ab illa *femina quae clausit, uitae portam reseruauit* differt, quasi dicens quasi simplex a uere simplici habet differentiam, tanquam equiuocum ab uniuoco, nam *manus* naturale membrum seu organum organorum secundum Aristotelem et caterua seu hominum societatem potentiamque significat, et ita ad haec est equiuocum. Et hic in antecedente naturale membrum, in relatio uero potentiam diuinam dicit. *Femina* uero est uniuocum.

[4] 93. Quod in hac oratione *manus domini sunt crucifixae, quae fecere nos* similibusque, uelut figuratiuis, sunt improprietas, possibilitas et necessitas. Improprietas est eo quod relatiuum aliud ab antecedente notet, cum idem cum antecedente debeat importare, et sic scema uel antiptosis uel allotheta, id est aliena positio potest assignari. (2) Possibilitas autem est equiuocatio. Cum enim manus materiales manus diuinamque significant potentiam, uarie sumi potest. Et quandoque por uno ita quod non pro alio, et ita diuersa fieri potest relatio, ut si dicatur: *canis currit, qui fulget in ethere*. Quod autem in his exemplis antecedens et relatiuum diuersa significata habeant quodque idem significare non possint, sensus ipse declarat. (3) Necessitas in sententiae expressione fit. Is enim qui talem sermonem fecit comparisonem nostram significare uoluit, ita quod manus quae fecere nos spirituales sint, crucifixae uero carnales. Sed propter identitatem inter utrasque manus denotandam loqui sic oportuit. (4) Harum duarum regularum confirmationem *Doctrinale* in IX^o et commentatores ponunt. Id autem sic inquit (9, 1.472-73):

«Saepe relatiuum permutat significatum:

Sunt domini quae nos fecere manus crucifixae».

[5] 94. Relatiuum quandoque ad antecedens refertur, cum proprii numeri uariatione, ut *deus hominem plasmavit et eos marem feminamque creauit*. Hic enim relatiuum *eos* numeri pluralis est, quamuis aliis singularis sit.

[6] 95. Hic est improprietas et maxima. Cum enim antecedens et relatiuum substantiam eandem significant, sub eodem numero signare deberent. Vnde ibi sit allotheta, quae noscit nec genus nec numerum nec casum. (2) Possibilitas est quis hoc appellatiuum nomen in se multitudinis intellectum habet et uim collectiui sub disiunctione tamen, ut *homo currit*, ergo Ioannes uel Petrus uel Paulus aut ille uel iste. Item in se marem feminamque includit. Igitur licet actualiter pro uno nomen commune supponat, tamen sub disiunctione pro pluribus supponendi habet aptitudinem. Ideo commune nomen antecedens in singulari, relatiuum uero esse potest in plurali. (3) Necessitas fuit, ut bene exprimeretur sententia, scilicet quod deus hominem formauit et subinde eum ex illius substantia. Nam ex Adae costa et ad hanc identitatem denotandam, puta eum ex Adae costa, fuisse plasmatum, nomen commune pro antecedente singulariter collocatur. Et hoc fit eo ut eadem uoluntas, quae in iis esse debet, exprimatur. (4) Verum ad significandum quod saltem duo diuersi sint numero, relatiuum ponitur in plurali. Ad significandum uero de costa uiri mulierem fuisse formatam, relatiuum in genere masculino potius quam feminino ponitur, et sic est hic generum conceptio, et ad declarandam substantiae diuersitatem, scilicet duos numero diuersos esse cum numeri diuersitate a suo antecedente id dicitur in plurali. (5) Vel dic eos in plurali fuisse est necesse. Si enim dictum esset marem et feminam creauit eum, quispiam credidisse deum quippiam monstruosi in natura fecisse, scilicet aliquam creaturam utrunque sexum habentem, id est hermafroditum. *Herma* nanque dicitur masculus apud Graecos et *Afrodi* femina, unde *hermafroditus* dicitur qui utrunque sexum habet. Hic alio nomine dicitur *androgeus*. Hi dextram mamillam uirilem, sinistram muliebrem habentes, uicissim coeundo et gignunt et pariunt. *Catholicon* in *hermafroditus* uide.

[7] 96. Huiusmodi figuratiua locutio primo *Geneseos* inuenitur. Ibi nanque sic scribitur (1, 27): «Et creauit deus hominem ad imaginem suam. Ad imaginem dei creauit illum masculum et feminam; creauit eos benedixitque illis deus». Hic enim licet *illum* ad *hominem* proprie referatur, tamen *eos* improprie quoque propter uariationem numeri, quod et de illis dici potest. (2) Et hic dicta in regula proxime posita pro expositione possunt repeti. Hoc supra, inter sacrorum exempla, § *In principio uero*

Genesis sic habetur, sub capitulo I, ibi: *et creauit deus*, carta 282, cum sua glosa plene scribo. Has tres regulas *Doctrinale* in IX^o, sic inquires (9, 1.474-75):

«Et numerum mutat: *hominem diuina potestas*
Plasmat eosque marem factor erat et mulierem»,
et eius commentatores probant.

[8] 97. Relatiuum in locutione sine antecedente positum quandoque reperitur, et hoc fit sententiae exprimendae causa. Aliquando nanque uel ob iram uel nimium gaudium uel aliam passionem animus perturbatur, unde prouenit, ut sine antecedente ponatur relatiuum. Quod autem propter iram fiat apud Ouidium de Iunone contra Semelem, Iouis pelicem, est exemplum (*Doctrinale* 9, 1.477; cf. *Ov. Met.* 3, 263):

«Ipsa petenda mihi»,

ipsa, scilicet Semele Iouis pelex petenda, pro *impetenda mihi*, pro *a me*, scilicet Iunone est. (2) De nimio gaudio aut perturbatione alia, in Magdalena Iesum a morte suscitatum quaerente apud Ioannem Euangelistam, capitulo XX, uideri potest. Illic enim legitur hoc modo (20, 15): «Et uidit Iesum stantem, et nesciebat, quia Iesus est, et dixit ei: "Mulier, quid ploras? Quem quaeris?" Illa aestimans quia ortolanus esset dicit ei: "Domine, si tu sustuliste illum, dic cito mihi, ubi posuisti eum, et eum ego tollam". Dixit ei Iesus: "Maria". Conuersa illa dicit ei: "Raboni", qui dicitur magister. Dicit ei Iesus: "Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum et patrem uestrum dominum meum et deum uestrum". Venit Maria Magdalene anuncians discipulis: "Quia uidi dominum et hoc dixit mihi".»

(3) Hic enim Magdalena relatiuum *illum* uel *eum* ex nimio gaudio Iesum quem tantum resurrexisse credens uel perturbatione magna putans ortolanum corpus Christi sustulisse, sine antecedente protulit. Dixit enim Iesu, quem ortolanum esse credebat: «Si tu sustuliste illum», nulla de Iesu praehabita mentionem. Credebat enim quod omnes dominum in mente, sicut ipsa, haberent, quodque nihil aliud cogitarent. (4) Idem de priore exemplo debet intelligi. Id quod in communi sermone saepe fieri solet, ad hanc regulam 193, in fine, facit.

[9] 98. Quando relatiuum sine praecedente collocatur, tria solita subistunt. Improprietas est quod relatiuum sine antecedente ponatur. Relatiuumque nanque est antelatae rei recordatiuum, sed rei antelatae recordari non potest, nisi de ea mentio facta sit. Ergo sine antecedente poni non potest. Item relatiuum de re secundam facit noticiam, oportet ergo faciens prima praecedat antecedens. Et sic est antiptosis seu allotheta, id est aliena positio. Vel hic eclipsis esse potest, et sic improprietas nota est. (2) Possibilitas autem est quod relatiuum per suam sumam dependentiam, quam ad antecedens habet, dat illud intelligere, igitur, et cetera. Vel dic quod antecedens dupliciter considerari potest, aut prout est in mente, quod intelligitur, aut prout in prolatione est, quod in oratione collocatur. Itaque licet in oratione non ponatur, tamen intellectu est. (3) Necessitas fuit sententiae expressio. Nam Magdalena Iunoque per relatiuum sine antecedente positum significare uolebant quod Magdalena Iesum et Iuno Semelem pelicem in corde gestarent nec aliter aptius significare potuissent.

[10] 99. Huiusmodi locutiones impropriae et figuratiuae sunt, sed in frequenti usu ex nimia animi perturbatione quas per antiptosis seu allotheta etiamque eclipsim possumus excusare. Et harum trium regularum in IX^o *Doctrinalis* habes, sic dicentis (9, 1.476-78):

«Inuenies positum sine praecedente relatum:

Ipsa petenda mihi, Iuno de pelice dixit.

Flens Magdalena quaerit si sustulit illum».

Et hic glosatores uide.

LXXXV. De dictione quando finite et quando infinite sumatur.

[1] 100 est regula. Quod dictio dupliciter significare seu supponere debet. Vno modo finite determinateque, secundo modo infinite et indeterminate finire supponere appellatur, quando dictio uel terminus pro indiuiduis stat finite, et hoc aut pro uno tantum aut pro pluribus: pro uno, ut *ille currit*, ita quod terminus *omnis* sic pro pluribus determinat, quod non pro uno solo, quam distinctionem ponit Albertus. (2) Idefinite uel indeterminate respiciens, ut in *Doctrinalis* exemplo paret (9, 1.481):

«Cuncta timent hominem, quia praesidet ipse creatis».

Hic enim *hominem* pro aliquo singulari non supponit, cum tunc falsa esse locutio. Non enim *aliquis homo* singularis est, quem cuncta timeant. Idem de hoc relatio *ipse* dici debet. Aliquis enim homo singularis et indiuiduus creatis non praesidet.

[2] 101. Antecedens et relatiuum quandoque in locutione indefinite indeterminateque ponuntur. Indefinite quidem, id est indeterminate poni, est nullius indiuidui determinata designatio, seu quando nullum locatum, id est indiuiduum, designatur, ut in exemplo proxime dicto declaratur.

[3] 102. Licet ex his duabus relatiuis quid sit finite infiniteque signare satis sit perspicuum, tamen ad euentiore declarationem Priscianum primo minoris adduco dicentem (17, 194): «In uerbis primae secundaeque personae nominatiuum finitum determinatumque intelligi, quippe *ego tuque*, nam qui dicit *lego* uel *legis*, immediate ab intellectu *ego tuae* comprahendit. (2) In uerbis autem tertiae, primo nominatiuus, infinitus indeterminatusque intelligitur. Cum enim *currit* dicitur, homo uel bos uel asinus uel quicquid aliud uolueris potest intelligi. Tertia nanque persona capax est multitudinis numeri pluralis instar. Nam dicendo *homines* pro unoquoque homine fit suppositio. (3) Ideoque nomina numeralia ad hoc determinandum sunt inuenta, ut *duo, tres* uel *X* uel *XX* uel *centum* uel *ducenti homines* est. Igitur finite significare et supponere pro aliquo certo supposito uerificare sermonem. Indefinite uero fit econtra, scilicet pro aliquo supposito uel indiuiduo uerificationem non facere». (4) Harum trium regularum confirmatio a *Doctrinali* in IX^o eiusque glosatoribus sumi potest, ubi sic *Doctrinale* dicit (9, 1.479-81):

«Indefinite praecedens siue relatum

Saepe locas nullum designans inde uocatum:

Cuncta timent hominem, quia praesidet ipse creatis».

[4] 103. In hac oratione *homo currit et ipse mouetur*, de aliquo hominum sermo sit, sed de quo minime difinitur, et hoc per id quod dicitur in principio *homo currit*. Cum autem subiicitur *et ipse mouetur*, non difinitur adhuc de quo, quia licet hic relatio ad difinitam personam fiat, non tamen eam difinit omnino, quamuis saltem ad quandam reducat certitudinem. Ideo quo ad suppositionem significatumque talis incerta est locutio. (2) Itaque est necesse ut cum relatio debita fiat specificatio et singularis terminus collocetur. Cum igitur fit adiectio *et ipse est Sortes*, iam per sequentem relationem fit difinitio, ut si diceretur *homo qui est Sortes currit*.

[5] 104. In hac oratione *omnis homo est id quod ipse est, ipse* ad hoc nomen *homo* refertur, per quod non omnis homo supponitur, sed per hanc orationem *omnis homo*, sed per nomen illud supponitur *homo*. Et pronominis relatio non ad orationem sed ad solum nomen substantiuum fit. Ideoque per hoc pronomem *ipse* non *omnis homo*, sed *homo* supponitur, ut et hoc cum quadam personae identitate fiat. (2) Idem est si dicatur *omnis homo se diligit*. Non enim de omni homine, sed de homine secunda fit noticia. Vel forte dici potest quod *ipse* in secunda noticia hominem supponit omnem, sed non intelligitur cum distributione quadam, ut *iste est id quod ipse est, et ille*, et sic de singulis.

[6] 105. Quamuis per hanc orationem *omnis homo est id quod ipse est*, quoad primam partem prima noticia facta sit, ut et in ista *omnis homo currit et ipse mouetur*, nam per *omnis homo* prima fit noticia, non tamen *ipse* eam totam secum trahit. *Ipsa* enim non ad *omnis homo*, sed ad *homo* refertur.

[7] 106. Cum dicitur *homo albus currit et ipse est animal, ipse* non *hominem album*, sed *hominem* tantum refert. Sicut enim hoc relatiuum substantiam solam significat, sic et de ea relatione facit. Si enim unum nomen accidentale in prima sit noticia, relatiua dictio non refert quicquid illud supponit. Illud enim substantiam accidensque assumit, ut *homo albus currit*. Relatio uero solam apprehendit substantiam. (2) Harum quattuor regularum fundamentum apud Petrum Heliae, libro primo minoris, carta V, uersiculo *Quantum de relatiuis sermo*, et apud alios commentatores inuenies.

LXXXVI. De relatio ad antecedens relato cum personae mutatione.

[1] 107. Relatiuum quandoque refertur ad antecedens personalitatem propriam uariando, ut *o aqua benedic domino, quae super caelos extat*. Hic enim *aqua* antecedens uocatiui casus est et ita secundae personae secundum Priscianum. Et hoc relatiuum *quae* tertiae est personae, cuius manifesta est probatio. Cum enim relatiuum sit, uocatiuum per antedictam haberet non potest. (2) Relinquitur ergo ut nominatiui casus sit. Omnis autem nominatiuus, Prisciano teste (17, 153), personae est tertiae, quattuor exceptis: *ego, tu, nos* et *uos*; et etiam uocatiuus, qui secundae personae sunt. Insuper hoc uerbum *extat* tertiae personae est. Ideo nominatiuum similis personae supponentem cupit.

[2] 108. Haec locutio *benedic o aqua domino, quae super caelos extat*, et similes ut (*Doctrinale* 12, 2.622):

«Nobis parce deus, nostros lauet ille reatus»,

impropriae et figuratiuae sunt, cum antecedens et relatiuum diuersarum personarum sint, quae eiusdem esse deberent. Inter se nanque pro eodem referuntur, sed hac improprietas per sinephesim excusatur.

[3] 109. Sinephesis est accidentis in diuersa oratione mutatio, et haec est duplex prior est numeri in numerum uariatio, ut *unica facta fuit mulier, quae sunt modo multae*, sed modus hic in raro est usu. Altera est personae in personam, scilicet secundae in tertiam permutatio, ut (*Doctrinale* 12, 2.622):

«Nobis parce deus nostros lauet ille reatus».

(2) Et hic modus a tropologia differt, fit enim transitus ibi de persona tertia in secundam, ut *domini est salus et super populum tuum benedictio tua*.

[4] Sinephesis secundum 110 regulam a *sin* quod est sine, et *aptus*, -a, -um, et *thesis* quod est *positio*, quasi *sine apta positione*. Et hoc secundum Ioannem de Crocho et alios *Doctrinalis* glosatores in XII^o, super sinephesi circa totius libri fine. Secundum uero *Catholicon* et *Compraensorium* dicitur a *syn*, quod *con*, et *thesis positio*, quasi *compositio*, et tunc secundum Tortellum per -y graecum debet scribi.

[5] 111. Quod in sinephesi est improprietas, possibilitas et necessitas. Improprietas est in accidentis in accidens, id est numeri in numerum uel personae in personam mutatione facta, ut commemoratum est. Et sic ad tropum reducit, ut in prima specie propter numeri diuersitatem inter antecedens et relatiuum patet. (2) Possibilitas est quia ex relatiui ad antecedens comparatione resultat collectiui nominis intellectus uel quia ex positione relatiui multiplicati in numero plurali siti antecedens in numero singulari multiplicatum potest intelligi. Vel possibilitas est quia cum res sub triplici loquendi modo cadat, ut a quo ad quem et de quo a quibus modis sumitur persona triplex, possibile est quod res isto uel illo modo significetur sibi. (3) Necessitas fuit ad exprimendam loquentis intentionem primo unicam fuisse mulierem, Et ideo dicitur *unica mulier*, deinde significare uoluit genus mulierum ab ipsa prima productum multiplicatum fuisse immoque subiicitur *quae sunt modo multae*. (4) In secundo exemplo est necessitas ad designandum unicam rem esse possibilem sub diuersis loquendi modis cadere, ut in psalmista palam est, qui saepe personam mutat, nam denotare uoluit deum non solum personae uni, sed pluribus indifferenter attribui. (5) In illa uero locutione *o aqua benedic domino, quae super caelos extat*, necessitas est expeditus loquendi modus uel sententiae expressio. Nam qui talem sermonem tulit, uoluit generaliter sermonem ad unanquamque aquam dirigere. Ideo dixit *benedic domino aqua*, post significare uoluit in specie, ut domino caelestis aqua benediceret, ob id subiicit *quae super caelos extat*, quasi hanc ab aliis dignitate et priuilegio diuidens. (6) Deinde cum per uocatiuum res demonstrata imperetur, aqua uero supracaelestis nobis sit indemonstrabilis, ad hoc exprimendum loquendi modus uariandus fuit. Nam de uis uocabuli dicendo *o aqua* solum ad aquam sub caelo fit demonstratio, nam talis aqua nobis est demonstrabilis uisusque perceptibilis; de supracaelisti uero est contrarium.

LXXXVII. An ad uocatiuum fieri possit relatio.

[1] 112. Cum hic *o aqua benedic domino, quae super caelos extat*, ad uocatiuum facta uideatur esse relatio, regula subiungatur, quod ad uocatiuum relatio fieri non possit, quod intellige de directa, secus si fuerit indirecta. Indirecta uero dicitur cum antecedens et relatiuum in eodem casu non ponuntur, ut *o aqua benedic domino, quae super caelos extat*. (2) Hic enim *aqua* uocatiui casus est, *quae* uero nominatiui, cum ex directa relatione eiusdem casus esse deberent. Vel dic *o aqua* absolute poni aut *audi* uel *percipe* subaudiri, et in imperatiuo *benedic, tu* in nominatiuo subintelligi et *quae* ad *tu* referri. Et tunc propter casus identitatem directa dicitur esse relatio. Vel exponi potest cum Petri Heliae auctoritate ad uocatiuum, id est per uocatiuum. (3) Vocatiuus enim, Prisciano teste, eo relatiua repudiat, quod antecedente cognitionem nequeat denotare. Inde est quod omnia relatiua uocatiuo carent. De hoc Priscianum primo minoris, § *De tu quoque*, carta 44 (17, 190), et supra, eodem libro, uersiculo *Idem Priscianus I^o minoris de tu quoque*, et Petrum Heliae eodem primo minoris uide (supra 5, 18, 3).

[2] 113. Relatio ut ad uocatiuum non fit, ita ad ceteros potest fieri, Prisciano referente in proxime praelibato loco, ut *ego lego, qui scripsi, tu legis, quis scripsisti, ille legit qui scripsit, meus seruus est cuius aere emptus est, ego sum ille, cui tu multa debes, tu es is quem diligo, regem amo, a quo iuste populus gubernatur*. (2) Et ita *ad pro per* debet exponi tunc dicatur: uti per uocatiuum non fit, ita per ceteros fieri potest relatio. Quod si *ad* proprie capiatur, regula quoque, ut in proxime praecedente liquet, stare potest, sed tunc haec

exempla subiicies: *ego sum, qui scientiam diligo* uel *cuius amor in scientiam est intensus* uel *cui scientia est amabilis et amanda* uel *quem amor scientiae trahit quamplurimum* uel *a quo uirtus et scientia omnibus aliis praeferuntur*.

[3] 114. Si diuersae personae uerbo uni copulentur, nominatiuo sed non uocatiuo coniungantur oportet, ut *ego et tu et ille legimus*, non etiam rite dicitur *ego et grammaticae et ille studemus*, nisi attentionis causa, collocans pronomini nominatiuum, nominis uocatiuum adiungerem, ut *ego et tu, o grammaticae, et ille docemus*.

[4] 115. Quamuis nomina tertiae personae sint, tamen pleraque uocatiuum habent. Nec cui mirum sit, nam uerbis substantiuis uocatiuisque coniuncta tam primae quam secundae personae possunt esse, ut *in Catalonia ego sum rerum mearum dominus; tu in Italia non es dominus; ego uocor uir studiosus; tu nominaris uagus*. Sic personam tertiam in primam secundamue traduco. Et uocando eundem intellectu ipso uocandi secundam personam facio, ut *o sanctissime Ioannes*, id est *te uoco, Ioannes sanctissime* (2) Infinita uero uel interrogatiua uel relatiua uel redditua uel distributiua, ut quae personae incertae uel diuersae sunt, excipiuntur, nam uocatiuum habere non possunt, ut *quis, qualis, talis, tantus, quantus, tot, quot, uterque, alter, neuter, alteruter, singuli, bini, terni, duplum, triplum, quadruplum* similiaque. (3) Igitur ad huiusmodi nomina fieri non potest uocatio, quamuis ad primam secundamue personam, sed per nominatiuos ea liceat adiungere, ut *qui sumus, qui estis qualis uel quantus reputabor, si in uirtutis scientia studio uitam agam, quales dicemini, quanti reputamini*. Harum duarum regularum a Prisciano primo minoris, § *De tu quoque*, uersiculo *Similiter*, et supra, uersiculo *Idem Priscianus primo minoris, § De tu quoque*, petatur probatio (supra 5, 18, 4).

[5] 116. Hae locutiones proximae dictae et illa *o Ioannes Baptista sacratissime, qui Iesu testimonio inter mulierum natos surrexisti maior, saltem nullus te maior ortus est, pro me peccatore et toto populo Christiano uehementer perorare digneris*, impropriae et figuratiuae sunt. Cum et *qui licet* tertiae personae sit, tamen hic ad secundam, propter uocatiuum praecedentem subintelligi facientem nominatiuum *tu*, euocatur, ut et in oratione illa *ego sum qui legens proficio, qui et legens* ad primam personam euocantur. (2) Hoc per Priscianum I^o minoris et Petrum Heliae aliosque expositores ibidem et per *Doctrinale* in 8^o et glosatores eius confirmantur. Dico in hoc libro plene supra, sub § *Cum igitur pronomina*, uersiculo *Perspicuum igitur* et uersiculum *Multis autem modis*, considera (supra 5, 17, 1; 5, 17, 4).

[6] 117. Locutiones per utramlibet sinephthesis speciem celebratae secundum antedicta maximam improprietatem gerunt, et fugiendae sunt, sed inuentae per ipsam figuram sinephthesim ueniunt excusandae. Probatio declaratioque regulae 107 usque ad praesentem in Prisciano commentatoribusque ipsius in primo minoris, et in *Doctrinali* in IX^o XII^oque patescunt. (2) Nam et *Doctrinale* dicit in IX^o (9, 1.482-84):

«Et personalem permutat proprietatem,
Vt domino benedic aqua, quae caelos super extat.
Sed non est nobis imitanda relatio talis».

(3) In XII^o uero circa finem ait (12, 2.617-22):

«Contingens uerbi mutat sinephthesis ecce
Vnica facta fuit mulier, quae sunt modo multae.
Ista, sed in nostrum mutatio non uenit usu,
Dicuntur binae species sinephthesis esse:
Scilicet haec et ea qua personam uariamus:
Nobis parce deus, nostros lauet ille reatus.

(4) Et utrobique glosatores uideantur, inter quos Ioannes de Crocho nullatenus omittatur. Et *Catholicon* in 4^a parte, capitulo *De coloribus rhetoricis*, § *Sinephthesis secundum Doctrinale fit dupliciter*, in columna finali adiungatur (4, 116). Cui etiam *Compraensorium* in uerbo *sinephthesis* potest applicari. Sed Tortellus de hac figura in *S* nihil scribit, in quo, ut et in multis aliis, praesertim in uerbis scripturae sacrae graecis, defectiuus inuenitur. (5) Ideo *Catholicon* magni faciendum est, licet in multis errauerit et deficiat, eo quod maiori ex parte uerba non modo latina, sed et graeca et hebraica, ad sacra scripta spectantia satis, id est plene, declaret et exponat.

LXXXVIII. De appositione seu euocatione.

[1] 118. Omnia nomina et in omnibus casibus, uocatiuo dempto, pronominiibus omnibus apponi possunt, ut *ego Ioannes, mei Ioannis, mihi Ioanni, me Ioannem, a me Ioanne, tu Petrus, sui Bernardi, ille Ambrosius, iste Hieronymus, ipse Augustinus, hic Gregorius, is Thomas de Aquino, meus, tuus, suus, noster, uester*,

pater, nostrás, uestrás, homo. (2) Verum quando rectis *ego tuque* apponuntur, fit euocatio, et sic per omnes casus, ut in *ego*, fieri potest appositio, ut *ego Ioannes lego, nos homines mille †erunnarum† subiicimur; tu pauper in rebus sed diues spiritu, laetus uiuis; uos diuites pecunia, sed mente pauperes quotidie cruciamini.* (3) Nec abs re uocatiuum excepi, is nanque solummodo uocatiuo *tu meusque, noster et nostrás,* potest apponi, ut *o tu, bone Iesu, parce nobis; o uos, homines libidinosi, attendite, quot mala ex libidine oriuntur; o mi pater, o mei parentes; o pater noster, qui es in caelis; o patres nostri, o nostrás scholaris, o nostrates ciues Catalanique.*

[2] 119. Omnia tertiae personae pronomina, excepto *sui*, figurate quoque per appositionem euocationemque non nunquam primae secundaeque personae pronominiibus apponuntur, ut *ego ille, qui semper studeo, proficio; ego iste qui saepe legi, in dies apertius breuiusque intelligo; ego ipse rogo; ego hic qui diligens est, multis obstiti infortuniis; ego is, cui labor pergratus est, dei gratia, non indigeo cum tota temporis clamitate; ego meorum meus, ego sum tuus; sanctus Ioannes mihi in summo est honore, ego suus sum; ego nostrorum noster sum; ego uester nostrás uestrásque multis sum acceptus.* (2) De *tu* quoque similia exempla posunt adduci. Prima uero secundaque persona nec sibi uicissim tertiae apponi ualent. Non enim recte dicitur *ego tu es* uel *tu ego sum* nec *ego ille facit* uel *tu ille facit.* Nec quisquam sic loqui solet, sed bene profertur *ille ego facio* et *tu ille facis.* Id enim appositium est, quod illi apponitur, cui uerbum redditur.

[3] 120. Solum hoc pronomen *ipse* additiuum uel appositium uocitatur, quod Apollonius *epithematicon* nominat, sed non eo quod id solum aliis pronominiibus uel etiam nominibus apponatur, sed quia frequentius quam alia, ut *ego ipse, tu ipse, sui ipsius, ille* uel *iste* uel *hic* uel *is ipse.* (2) Nam et alia pronomina reperiuntur appositua, ut quae pronominiibus aliis etiamque nominibus adiungantur, ut *ego ille, tu iste, sui illius, istius, huius* uel *eius, hic ille, hic iste, qui studet, scit, non hic ipse qui uagatur;* Terentius in *Andria* (788):

«Hic est ille ne te credas diuum ludere».

Virgilius in *Bucolicis* (9, 16):

«Nec tuus hic Meris ne uiueret ipse Menalchas»;

idem in principio *Aeneidos* (pr. *Aen.* 1, 1):

«Ille ego qui quondam gracili modulatus auena»;

idem in primo *Aeneidos* (1, 617-18):

«Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchise
alma Venus Frigii genuit Simontis ad undas».

(3) De nominibus sint exempla *ille rex, iste pater, hic dominus, deus creat animam, is deus eam corpus infundit.* Nec modo data Virgilio exempla faciunt, sed et illud Ciceronis in *Inuentiuis* (2, 6, 12): «Haec ego uehemens ille consul, qui uerbo ciues in exilium eieci, quaesiu a Catilina». (4) Non tamen alia pronomina, sicut *ipse*, sine alio pronomine possunt uerbis personae primae secundaeque adiungi, ut *ipse facio, ipse facis;* Virgilius in primo (*Aen.* 2, 5):

«Quaeque ipse miserrima uidi»;

idem in *Bucolicis* (3, 77):

«Cum faciam uitulam pro frugibus ipse uenito».

Non enim recte dicitur *ille facio, ille facis,* nisi pronomina primam secundamque personam ostendentia copulentur, ut in Ciceronis Virgilioque exemplis dictum est. (5) Sed et *ille ego, ille tu* cum dicimus, cognitionis antecedentis relationem notamus, at *ipse ego* discretionem facit, id est ipse ego per me et non alius. Quare per excellentiam hoc pronomen *ipse* quasi proprium, quod commune est multorum, nomen appositionis obtinuit.

[4] 121. Hoc pronomen appositium *ipse* licet imperatiuo iungatur, ut *ipse fac, ipsi facite, ipse facito, ipsi facitote,* tamen uocatiuum non habet. *Ipse* ergo nisi uice nominatiui nominis uti nequit.

[5] 122. Vocatiui sine uerbis secundae personae in usu frequenti sunt, ut *Homere, te legendo laetor; tuam canendi maiestatem miror, Virgili.* Nominatiui uero nunquam sine uerbis suis, nisi per eclipsim proferuntur, ut *diligens es, Ioannes Raimundus Ferrarii nominaris.* (2) Attici tamen nominatiuos pro uocatiuis proferre solent, ut Homerus consueuit, quem Virgilius in VI^o est secutus (*Aen.* 8, 77):

«Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum»,

fluuius pro *fluuie* dixit. Lucanus in 2^o (2, 116-17):

«Degener, o populus, uix solum longa deorum
Sic meruisse uiris»,

pro *popule* Macedones autem et Thessali econtrario, uocatiuos pro nominatiuis ponebant. (3) Vnde Romani huiusmodi nomina, praesertim appellatiua uocatiuum graecum etiam pro nominatiuo suo

saepissime collocant, ut *sophista, citharista, poeta, Scytha, Sarmata, Sofia*. Persius autem uocatiuum pro nominatiuo posuit indubie (3, 29):

«Censoremue tuum, quem trabeate salutes»,

trabeate pro trabeatus. Et Oratius (*Serm.* 1, 2, 31-32):

«Macte

Virtute esto»,

pro *mactus uirtute*. (4) Harum quinque regularum fundamenta per Priscianum primo minoris, § *Pronomina quasdam proprias habent observationes singula*, carta 37, et in fine eiusdem primi, § *Quemadmodum igitur nomina*, scilicet carta XLVI, et per commentatores ibi quaere. Prisciani textus, supra in hoc libro, uersiculo *Idem in eodem primo minoris, § Pronomina quasdam*, et uersiculo sequenti *Idem in eodem circa finem*, reperies (5, 18, 7). Et hic *Doctrinalis* in 8^o, in nominatiui regimine eiusque glosatorum confirmationes adde. Et euocationis uocatiuique materia in hoc libro, a § *Cum hic pronomina*, uersiculo *Perspicuum igitur*, usque ad § *Cum de euocatione* plenissime refero (supra 5, 17, 1-5, 20, 1).

LXXXIX. De discretione pronominum.

[1] 123. Cum de discretione in 120 regula et multis aliis in locis facta sit mentio, dari potest quod discretio est alicui personae alicuius actus attributio cum eiusdem actus ab aliis omnibus remotio. Vel est cum unum suppositum ab aliis discernitur, et ita ratione suppositi accipienda est discretio, quae respectu aliorum suppositorum fit, cum dicitur *iste homo legit*. (2) Absolutio uero est actus aut passionis alicui personae attributio sine exclusione alterius, Petro Heliae primo minoris antepenultima carta teste, ubi subiicit (Reilly 1.008): «Discretio uero est cum exclusione unius aut plurium alicui personae attributio». (3) Significantia uero, de qua etiam apud Priscianum, et supra fit commemoratio, est alicuius actus alicui personae cum aliqua praerrogatiua uel excellentia applicatio.

[2] 124. Pronomina sunt inuenta non tantum causa supponendi uerbis, maxime primae secundaeque personae, sed etiam discernendi. Nam uerba personalia sine nominatiuorum expressione uel indicatiua absolute accipimus. Qui enim *studeo* uel *lego* pronunciat, non ad alterius personae discretionem diffinit, sed pronomina nominatiui casus personae primae et secundae ad personae discretionem alterius producuntur, ut si dixerō *ego uigilo, tu dormis*, uel *ego et tu legimus, ille uagatur, tu et iste laboratis*. Et si dicam *ego et tu speculamur*, nihil adiiciens, ad certas omnes personas fit discretio. (2) Non enim oportet pronomina nominatiui casus uerbo addere, nisi alia persona ueniat discernenda. Omnes enim casus obliqui apud Latinos absoluuntur. Nam et cum aliarum personarum discretionem et sine hac eis uti possunt: absque discretionem: *da mihi salutem*. Hic enim nulla est personae alterius discretio. Secus est dicendo: *da mihi sapientiam, illi uero diuicias*. Ad discretionem uero faciendam nominatiuus facit quamplurimum, cum in oratione exprimitur, ut *ego hunc librum lego, tu illum*. (3) Pro huius regulae confirmatione Priscianus primo minoris, carta V^a, § *Sed quod maius est*, facit, sic inquires (17, 17): «Sed quod maius est, uerba personarum quae per nominatiuum intelliguntur, et sunt indicatiua, absolute accipiuntur. Qui enim pronunciat *ambulo* uel *scribo*, non ad discretionem alterius personae diffinit. (4) Pronomina uero casus nominatiui primae et secundae personae ad discretionem alterius personae excogitata sunt, ut si dicam *ego scribo, tu legis, uel ego et tu scribimus, ille legit, tu et ille scribitis, ego lego*, et si dicam *ego et tu intelligimus*, nihil addens, ad ceteras omnes personas discernitur. Nisi enim discernere aliam personam uelimus, non est opus nominatiui casus addere pronomina uerbo. (5) Obliqui enim casus pronominum apud Latinos absoluti sunt omnes. Nam Graeci compositum *enaythoy* absolute dicunt, *sayooy* uero discretiue. Similiter alios casus obliquos. Absoluti uero dicuntur, quibus licet etiam sine discretionem uti aliarum personarum et cum discretionem. Sine discretionem, ut *da mihi panem*, et in hoc nullam discretionem habet alterius personae. Si autem dicam *da mihi panem, illi uero uinum*, discretionem feci. In quo nominatiuus maxime ualet, cum additur uerbo, ut *ego facio hoc, tu facis illud*. (6) Cum enim per se *facio* primam personam ostendit, et habeat in se uim nominatiui absolutam, additio pronominis discretionem aliquam desiderat alterius personae, ut *ego lego, tu scribis*. Terentius in *Andria* (28):

"Vos istoc intro afferte, Sosia adesdum";

idem in *Adelphis* (706):

"Ego ibo intro, ut quae opus sunt, parentur, tu fac ut dixi".

Tamen adiunctionem etiam alterius recipit, ut ostendimus, personae, ut *ego et tu facimus*».

[3] 125. Vt apud Graecos pronominum demonstratiuorum alia sunt absoluta, quae alterius personae discretionem non egent; alia discretiua, quae personarum aliarum coniunctione carent; ita apud nos eadem pronomina absoluta et discretiua sunt, ut *uides me* dicitur absolute; discretiue autem *uides me, illum autem non*. (2) Nominatiuus autem primae secundaeque personae si addiiciatur, plerunque discretiuius est, ut *ego semper Generalis Cataloniae monetaeque potissimumque iusticiae, reparationem et bonorum restitutionem praedico, ille et ille non*. (3) Plerunque uero dictum est eo quod huiusmodi nominatiuus non semper discretionem faciat. Nam et additur nunc coniunctionis, nunc significantiae faciendae causa: coniunctionis, ut *ego quidem feci uel affui*; significantiae, id est *maioritatis praerrogatiuae praeminentiaeque ego Generalis iusticiae monetae reparationem et bonorum restitutionem quotidie moneo et hortor faciendasque suadeo*, quasi dicam ego ante alios in hac re maioritatem praerrogatiuam et praeminentiam habeo. Et hoc est ac si diceretur *ego id perinde facio, ut nullus alius ita bene*. (4) Ergo tunc nominatiuus discretiuius est, cum accusatiuus uerbi sibi attribuitur et ab omnibus aliis remouetur, ut *ego quotidie studeo*; sensus enim est quod ego quotidie studeam et nullus alius. (5) Ad hanc regulam confirmandam Priscianus primo minoris, carta XVI, § *Apud Graecos*, potest adduci, sic inquit (17, 55): «Apud Graecos demonstratiuorum pronominum alia sunt absoluta, alia discretiua: absoluta sunt quae non egent discretionem alterius personae, quae enclitica, id est inclinatiua, sunt apud illos; discretiua quae egent adiunctione aliarum personarum, quas illi uocant *ortogomeia*. (6) Necessesse est enim alia inferre personam, quomodo in comparatiuis nominibus necesse est ea ad alias referri personas. Absoluta uero eorum, id est positiua per se proferuntur. Apud nos autem pronomina eadem absoluta et discretiua sunt, ut *uidet me uel uidet me, illum autem non*». (7) Nominatiuus primae et secundae personae pronominum si uerbo adiungantur, quod uerbum magis per se absolutam personam significat, plerunque discretiuius est, ut *ego dico, ille autem non*. (8) Glosa uero ordinaria super uerbo *plerunque* dicit: «*Plerunque* Priscianus ait, quia non semper discretionem facit, immo aliquando, ut dicit Priscianus inferius, additur nominatiuus uerbo causa coniunctionis: *ego quidem feci uel affui*. Vel aliquando facit significantiam. (9) Et debes notare quod discretio est attributio alicuius actus alicui personae cum remotio eiusdem actus ab omnibus aliis, ut *ego curra*, sensus est quod ego curram, ita quod nullus alius; si possibilis est discretio, tamen non est, ut inferius uidebitur. Sed significantia est attributio alicuius actus alicui cum quadam praerrogatiua, id est melioratione, ita quod nullus ita bene, ita patet, quare posuit *plerunque*».

[4] 126. Nominatiuus quidem pronominis et uerbo inest. Nec deesse dicitur, etiam si non addatur. Nec tamen additio uituperanda constructionem facit. Nam quandoque significationis amplioris gratia adiiciuntur ea, quae possunt intelligi, licet non addantur. Item discretionis causa, maxime si applicetur coniunctio, ut *ego quidem studeo, tu uero non*. (2) Priscianus enim in eodem minoris primo, § *Cum manifestum est*, uersiculo *Manifestum quod quidem*, plene sic inquit (17, 86): «Manifestum quod quidem et nominatiuus pronominis inest uerbo. Ergo si supradicta non desunt, quia intelliguntur, nec pronomen deest. Nec tamen si addatur, uituperanda est constructio. Est enim quando amplioris causa significationis adduntur eae quae possunt, etsi non addantur, intelligi, ut *legis? et lego*. (3) Ecce enim hic, quamuis aduerbium etiam per se positum intellectum uerbi habeat praedicti interrogatione, tamen additum non facit uiciosam orationem, sed magis certiolem. Firmior enim fit promissio duplici confirmatione». (4) Et infra (17, 88): «Eodem igitur modo cum absoluta et non discretiua inest prolatio, dicimus absque pronomine *disputo, disputas*. Si autem alicuius rei discretionem uolumus manifestare, addimus pronomen, cui proprium est personas discernere, non enim ut indicemus personam, hoc facimus. Ea enim habent in se uerba, unde infinita, quae a personis deficiunt, egent uerbis indicatiuis, ut quod deest de his assumant. (5) Ergo discretionis causa, et maxime si coniunctio assumatur, pronomen additur uerbo, ut *ego quidem affui, tu uero non uel ego quidem scripsi, ille uero legit*. Vel amplioris causa significantiae, in quo tamen ad omnes alios uidetur fieri discretio, ut Cicero in primo *Inuectiuarum* (1, 1, 3): "Nos, non dico consules, desumus". Intelligimus enim quod nemo alius, nisi nos. Terentius in *Andria* (866-68):

"Ego tibi, furcifer, si uiuo,
Ostendam quid sit periculi dominum fallere
Et illi patrem".

(6) Et prima quidem et secunda persona uerborum nisi discretionis uel significationis causa non egent pronomibus, quippe cum sint finitissimae singulisque uocibus habeant pares et praesentes demonstrationes».

[5] 127. Possessiui nominatiuus cum genitiuo possessoris causa discretionis uel abundantiae solet addi. *Suus fuit Iesuchristi mos et optimus optime facere et postea docere, nam suum praeclarissimumque artis fundamentum est primum agere, deinde erudire. Christus enim primo fecit, posthac docuit. Suus enim proprius intelligitur.* (2) Item *suus patris filius a iure ciuili tantum cognoscitur, ut secundum hoc ex testamento ab intestatoque succedat. Suus sane dicitur ad emancipati discretionem, qui non a iure ciuili, sed praetorio solummodo admittatur.* (3) Nec dubium est pro uniuscuiusque proprio confirmante usu *suus* accipi, Virgilius in *Bucolicis*, Egloga 2^a, circa finem (2, 65):

«Trahit sua quenque uoluptas».

Terentius in *Phormione* (454):

«Quot homines, tot sententiae, suus cuique mos est».

Vlpianus in *l. Iusticia, ff. De iusti. et iur.* (D. 1, 1, 10): «Iusticia est constans et perpetua uoluntas ius suum unicuique tribuens». (4) De hoc praeclarus Prisciani textus est in eodem primo minoris, § *Et substantia quidem uerba*, carta 29, § *Discretionis causa*, quae supra, in magna epistola sub ratione 8^a, uersiculo *Discretionis quoque causa*, scripsi (supra *De sui* 13).

[6] 128. Nominatiuus primae secundaeque personae per se discernitur. Harum personarum obliqui et quilibet tertiae personae casus per se profecto absoluti sunt, cum altero uero discretionem ad sequentem personam facit. Semper enim in uerbo intelligitur, adeo ut nisi propter discretionem superfluous esse uideretur. Enimuero nec eius obliqui nec tertiae personae pronomina intelliguntur in uerbo. Ideo magis haec quam discretiua requirit constructionis profectio.

[7] 129. Multis contemplantibus possum dicere *ego contemplor*, sed tunc magis ad personae designationem quam discretionem dicam.

[8] 130. Relatiuorum aliqua discretiua reperiri non possunt, ut quae duntaxat relatiua sunt, scilicet *sui* et *is*; aliqua reperiuntur discretiua, ut quae demonstratiua sunt etiam, ut *ille* et *ipse*. Constat enim sola demonstratiua discretiua esse. (2) Discretionis, absolutionis, significationis amplioris materiam non modo primo minoris secundum praeallegatos textus, sed et in XII^o, carta V, Priscianus exponit, ubi scite dicit (12, 24): «Sciendum tamen quod et *-met* et *-te* et *-pte* supradictis pronomibus uel discretionis causa plerunque significantiaque adduntur, ut Terentius in *Adelphis* (628):

"Egomet rapui",

intelligimus enim *ego* et non alius. Cicero *Pro Murena* (36, 77): "Quid quocunque admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas", *tute* dixit pro *tu ipse*, per te et non per alium. (3) Nam *tete* utraque producta accusatiuus esse geminatus ostenditur uel ablatiuus, quod est in prima et in tertia solet fieri persona, ut *meme sese*, composita tamen ostenditur accentum penultima acuto». (4) Priscianus XIII maioris, in principio carta V, ubi de additamento *-met*, haec confirmat (13, 22). Item Petrus Heliae et uterque expositor in antedictis locis, inter quos Petrus Heliae in XII, penultima carta, dicit super uerbo *discretionis* (Reilly 674): «Vt *egomet feci* et non alius. Plerunque autem ideo dicit, quia etiam apponuntur quandoque causa significantiae, id est causa maioris significationis, id est, ut res expressius designetur, ut *egomet feci*, id est qui tantae sum dignitatis». (5) Idem primo minoris, ultra medium (Reilly 960): «Recipiunt autem et haec, scilicet *ille* et *ipse* et alia pronomina causa maioris significantiae syllabicas adiectiones; prima et secunda persona et tertia per omnes casus assumunt *-met*, excepto nominatiuo *tu*, ne si diceret *tumet*, putaretur uerbum tertiae personae, sed assumit *-te* uel *-temet*, ut *tute* uel *tutemet*». (6) Idem in eodem, ante finem seu carta antepenultima (Reilly 988): «Demonstratiuorum pronominum apud Graecos alia sunt absoluta, alia discretiua. Absolutio est actus aut passionis sine alterius exclusione alicui personae attributio. Discretio uero est cum exclusione unius aut plurium alicui personae attributio. (7) *Apud Graecos* uero diximus, quoniam apud Latinos eadem absoluta sunt et discretiua. Nam nullum pronomen est apud nos quo non etiam absolute uti liceat et discretiue, nam *ego* et *tu* quandoque absolute ponuntur, non ergo alia absoluta sunt, alia discretiua. Notandum autem quod nominatiuus primae personae et secundae per se discernit, obliqui uero eius uel quilibet casus tertiae personae per se quidem absoluti sunt, cum altero uero ad sequentem personam discretionem faciunt. (8) Quaeritur autem quare magis *ego* et *tu* faciunt discretionem per se quam alia? Ideo quia semper in uerbo intelliguntur atque superfluere uidebuntur, nisi ad discretionem addantur. Nil quippe ad perfectionem constructionis necessaria. At uero nec obliqui casus nec pronomina tertiae personae in uerbo intelliguntur. Ideo perfectio constructionis magis exigit ea quam discretiua. (9) Opponitur nunquid multis legentibus possum dicere uere *ego lego*? Non igitur ad discretionem. Ideo est dicendum quod non semper discretiue ponuntur; quandoque enim ex usu tantummodo ad designationem personae *ego*

accipitur. Contra ergo ibi superflue apponitur *ego*. Nam si *lego* significat quantum *ego lego*, significabit *ego lego*, quantum *ego ego lego*. (10) Ad quod dicendum quod multa per se dicta, cum dictione aliqua significantur, quae tamen aliquo adiuncto, cum illa significari non possunt. Ergo cum dicimus *ego lego*, ibi *ego* non personam, sed solum actum significat, quod in multis aliis simile inuenis». (11) Consequenter concludit quod relatiuorum aliqua discretiua non reperiuntur, sed sola demonstratiua discretiua esse.

[9] De discretionis autem significantiaeque materia syllabicisque adiectionibus aliqua pulchra supra, libro I^o, § *-Met autem, -te, -pte, -ce*; usque ad uersiculum *Nec mecum, tecum, secum* (1, 10, 1), et in hoc libro, § *Pronomina uero* usque ad § *Participium quoque*, perstrinxi (5, 4, 2). (2) Verum cum in doctrina de his tradenda illis in locis breuior fuerim, hic etiam contra regularum naturam laboraui copiosius esse, ut ibi deficiencia, hic suppleta uideantur, et ita inter omnia loca res plenissime reperiretur agitata, ut nihil ad pronominum materiam pertinens examinandi copia careat. (3) Cum propter relatiuorum *Doctrinalisque* materiam multa ad uocatum, euocationem, sinephesim, appositionem, *ipse* appositium, discretionem, absolutionem significantiamque pronominum spectantia sat absolute per regulas explanarim, ad eam ipsam relatiuorum *Doctrinalisque* materiam, unde digressa est, nostra remeabit oratio.

XC. De relatiuo ad antecedens non ratione uocis relato.

[1] 131 regula est igitur quod relatiuum non nunquam refertur ad antecedens non ratione uocis, id est modi per uocem expressi, qui est, ut sit in genere, numero personaque conuenientia, sed ratione rei secundarie intellectae, ut *gens est bona, deus est eorum protector*. Hic enim relatiuum *eorum* ad antecedens *gens* propter rem secundario intellectam et non propter uocem aperte refertur. (2) Quod autem ratione uocis fiat relatio, dupliciter potest intelligi, nam uel ratione uocis, id est accidentium, puta generis et numeri ipsarum uocem consequentium, nam et hic in genere numeroque est discrepantia. Vel ratione uocis, id est rei per uocem immediate apprehensae. (3) *Gens* enim et alia nomina collectiua quandam rem per modum singularis notant et immediate de hac intellectum constituunt, tamen ex consequenti secundarioque quandam multitudinem dispersam significant, si hoc significatum debeat appellari. Enimvero cum ibi multitudo sit, in qua utri esse possint, propter hunc secundarium intellectum multitudinis uirorum relatiuum in genere masculino numeroque plurali potuit collocari.

[2] 132. In hac locutione *gens est bona, deus eorum est protector* similibusque magna est modorum significandi generis scilicet et numeri, disproportionio, et ita propter diuersorum numerorum et generum constructionem alleotheta fit. (2) Priscianus enim primo minoris, § *Illud tamen*, uersiculo *Construuntur*, sic praeclare dicit (17, 155): «Construuntur ergo diuersi numeri, ut Virgilius primo *Aeneidos* (1, 212):

"Pars in frustra secant ueribusque trementia figunt",

ad sensum enim (quia pars Troianorum plures in hoc loco intelliguntur) plurale uerbum reddidit, quomodo Homerus:

"Ayloy" (= φασσων),

et cetera. Salustius in *Catilinario* (56, 5): "Seruicia repudiabat, cuius inicio magnae ad eum copiae concurrebant". *Cuius* enim singulare ad rem retulit, id est rei seruiciorum». (3) Et infra: «Diuersa genera similiter construuntur. Virgilius in *Bucolicis* (3, 82):

"Dulce satis humor depulsus arbutus aedis

Lenta salix fetu pecori, mihi solus Amintas",

ad *dulce* enim, quod est neutrum, tam masculinum quam femininum redditur». (4) Et infra: «Vide quomodo et diuersa genera et diuersos numeros in supradicta figura alothetae, id est uariationis confundit. Graecorum quoque auctores frequenter utuntur huiusmodi figurationibus. Homerus», et cetera. Textus supra, libro 3^o, § *Cum autem hic Salustius*, uersiculo *Construuntur ergo*, carta 200, reperies pleniore (3, 13, 2).

[3] 133. In his locutionibus tria solita: improprietas, possibilitas, necessitasque coherent. Improprietas, quia relatiuum et antecedens in genere et numero discrepant. (2) Possibilitas est quia nomen *gens* collectiuum est; nomina uero collectiua secundario multitudinem dispersam important, propter quod relatiuum in plurali poni potest, et etiam in genere masculino. In ea nanque multitudine multi mares esse possunt. (3) Necessitas uero est expeditus loquendi modus, uel expressio sententiae potest esse, nam talem sermonem proferens significare uoluit plures, quasi unum in una bona uoluntate esse. Ideo pro unitate denotanda in singulari *bona gens* posuit, sed post, significare uolens numero multos

esse, subiecit *eorum*. (4) Licet autem ibi uel mulieres essent, *eorum* in genere masculino constituit, quia masculinum est dignius feminino, omne nanque agens est patiente nobilius.

[4] 134. Adiectiuum nomen quandoque non ratione uocis, id est modi per uocem expressi sed secundarii intellectus cum substantiuo coniungitur, ut (*Doctrinale* 9, 1.488)

«Pars hominum ualidi turres et moenia scandunt».

Hic enim *pars* non ratione uocis sed rei secundo intellectae, cum adiectiuo et uerbo copulatur. *Pars* enim principaliter rem quandam sub unitate et genere feminino significat; secundo uero quandam dispersam multitudinem, in qua multi masculini sunt.

[5] 135. In hac oratione

«Pars hominum ualidi turres et moenia scandunt»

et huiusmodi magna quoque est generis et numero disconuenientia, unde propter tantam uarietatis confusionem aliotheta fit. Nam substantiuum et adiectiuum in his principalioribus, genere scilicet et numero, in quibus conuenire deberent, disconueniunt. Ad hoc Priscianum in dicto § *Illud tamen* et uersiculis proxime allegatis uide.

[6] 136. In his locutionibus est improprietas per se nota. Est enim generis numerique difformitas. (2) Possibilitas est, quia hoc nomen *pars* pluralem potest importare, inter quae plures homines esse possunt. Ideo in genere masculino et numero plurali ponitur adiectiuum. Vel *pars* nomen complexiuum esse potest. Complexiuum autem est quod singulariter prolatum pluribus conuenit, sic quod unicuique illorum per se tamen hic naturam collectiuam habet, quia plura compraeendat oportet. (3) Necessitas est, ut res proferretur prout intelligeretur. Nam qui hoc protulit significare uoluit plures unanimes et quasi in unum coniunctos ad hunc scandendi actum exercendum esse. Ideo *pars* in singulari dictum est. Vterius significare uolens plures in numero uiriliter se habentes subdidit *ualidi* in plurali, et in genere masculino dignitatis causa, quippecum a digniori facienda fit denominatio, uel forte hunc scandendi actum duntaxat masculi faciebant. (4) Nec improprietas inter nomen *pars* et uerbum *scandunt* omittatur, nam per antedicta declaratur.

[7] 137. Nomen adiectiuum uerbumque numeri pluralis cum nomine distributio numeri singularis multoties copulatur, ut (*Doctrinale* 9, 1.491)

«Vtraque formosae, me iudice, sunt uenerandae» (cf. *Ov. Rem. Am.* 711-12).

Hic enim adiectiua, *formosae* scilicet et *uenerandae*, et uerbum *sunt* pluralis numeri huic nomine distributio *utraque* numeri singularis, sub numeri disconuenientia, coniunguntur. Sed fieri potuit, quia *utraque* nomen distributiuum plura dicit, quia distributio inter plura fit. Iccirco uel adiectiuum uel uerbum numeri pluralis ei iungi potest.

[8] 138. Haec constructio

«Vtraque formosae, me iudice, sunt uenerandae» (cf. *Ov. Rem. Am.* 711-12)

et similes propter discrepantiam in numero inter substantiuum et adiectiuum et suppositum appositumque multum sunt impropriae. Adeo ut nulli liceat eis uti, sed ipsas inuentas debemus defendere. Et hic aliotheta uel soloecismus assignari potest, cum sit incongrua bifariam uocum ordinatio. (2) Similis incongruitas inter substantiuum et adiectiuum non autem inter suppositum et appositum apud T. Liuium *Ab urbe condita* libro IX, capitulo penultimo, reperitur (9, 43, 4): «Incerti rerum omnium suspensique de statu alterius uterque consulum ageret».

[9] 139. Vt in hac T. Liuii constructione est tantummodo una improprietas, uidelicet numeri inter substantiuum et adiectiuum dissonantia, sic in illa *utraque formosae* et cetera, duplex est: prior inter substantiuum et adiectiuum; altera inter suppositum appositumque numeri disproportionio. (2) Possibilitas est quia *utraque* nomen est distributiuum pluraque importans. Necessitas est sententiae expressio. Ouidius enim in persona Paridis uoluit exprimere quod Iuno Pallasque in unum conuenientes in forma erant, et ob id *utraque* numeri singularis at. Posthac significare uolens plures esse numero, *formosae uenerandaeque* et *sunt* in plurali dixit.

[10] 140. In locutionibus proxime dictis, ut *gens est bona, deus est protector eorum* et

«Pars hominum ualidi turres et moenia scandunt»

et

«Pars in frustra secant»,

et

«Vtraque formosae»,

et cetera, ex antedictis improprietas elucescit, et causae excusantes eam. Omnes nanque factae sunt ad sententiae expressionem habendam et ad denotandum quod in numero plures quasi unum ad aliquem actum exercendum essent.

[11] 141. Pro uersus illius

«Vtraque formosae, me iudice, sunt uenerandae»

expositione fabula est scienda, quod Iuno soror uxorque Iouis et Pallas et Venus in maxima concordia degentes, in quondam conuiuio nuptiarum erant. Dea Discordia, cum inuitata non fuisset, mota inuidia, de suo semine seminare uoluit. Illis ideo pomum aureum quoddam misit, ubi scriptum erat: *Pulchriori detur*. Quaelibet pomum suum esse praetendit. Omnes tandem Parim, Priami filium, tanquam iuste iudicare solummodo in iudicem eligerunt. (2) Hic autem Paris est is de quo in uentre matris commorante Priamus somniauit uxorem in uterum faculam tenere, quae tota urbem inflamaret. Ideo Hecubae uxori praecepit ut quicquid pareret occideret, quod mater propter filli nati pulchritudinem facere non potuit, sed partum cuidam pastori nutriendum dedit, quem pastor pastorale officium docuit. (3) Paris die quadam cum armenta custodiret, uidens in pugna taurum alienum pugnantem robustius superasse suum, mox illum corona laurea coronauit, ex quo per totam illam terram recti iudicis fama obtinuit; non mirum ideo si ab illis tribus deabus in iudicem sit electus. (4) Iuno autem ad illum accedens se multa regna ei daturam esse promisit, si pro ipsa iudicaret, declarando pomum ad eam ut pulchriorem pertinere. Pallas uero sapientiam promittebat. Venus autem pulchriorem mulierem quae in orbe fuisset. Paris Veneri spretis aliis, adiudicauit pomum, ut qui libidine deditus feminae pulchritudinem donis ceteris anteferebat. (5) Vnde dixit Ouidius (*Rem. Am.* 711-12):

«Vtraque formosae Paridi potuere uideri,

Sed sibi collatam uicit utranque Venus».

Inde Alexander de Villa Dei in *Doctrinali* suo sumpsit exemplum

«Vtraque formosae, me iudice, sunt uenerandae».

[12] 142. Haec locutio *utraque formosae*, et cetera aliaeque praedictae, ut multum improprie fugiendae sunt, nec nisi magnis ex causis usurpandae, sed per antiptosis, sintosim seu allothetam excusandae, cum sit in accidentibus diuersitas, in quibus identitas esse deberet. De his Priscianus primo minoris, § *Illud tamen* (17, 155), et Petrus Heliae et uterque expositor, antiquus scilicet et modernus, docent. (2) Quibus *Doctrinali* in IX potest adiungi, sic inquit (9, 1.485-92):

«Non des ad uocem quandoque relata sed ad rem

Nominis: *est bona gens, deus est protector eorum*.

Adiectiua modo poni reperimus eodem:

Pars hominum ualidi turres et moenia scandunt.

Sunt adiectiui plures distribuenti.

Hic etiam uerbum reperies plurale locatum:

Vtraque formosae, me iudice, sunt uenerandae.

Sed non est talis constructio congrua nobis».

Et hic scribentes uide.

XCI. De demonstratione personali et impersonali siue implici.

[1] 143. Demonstratio impersonalis siue simplex in locutione quandoque fieri inuenitur, ut *sacerdos sal demonstrans dicit: Heliseus in aquis te mitti iussit*. Hic enim hoc pronomen *te* demonstrationem simplicem seu impersonale facit, nam cum dicitur *te*, sal quoddam, quod nunquam Heliseus uidit. Idem tamen in specie demonstratur, sed aliud sal idem in specie et in communis essentiae participatione, sed in numero diuersum denotatur. (2) Non enim sunt idem numero sal quod in aquis Heliseus misit et sal quod nunc principaliter demonstratur. Dicitur autem impersonalis priuatiue, quasi non personalis talis demonstratio, quae et simplex appellatur. Id enim quod demonstratur et quod significatur non idem sunt numero, sed solum in specie, id est in forma communi essentiali cum autem omnis simplicitas a forma sit, licet simplex dici potuit.

[2] 144. Demonstratio secundum Petrum Heliae est oculis uel intellectui certa rei representatio. Duplex est demonstratio: personalis et impersonalis siue simplex. Personalis autem est quando aliquod indiuiduum demonstratur, et idem in numero designatur, ut *iste homo currit*, demonstrato Petro. Nam hoc pronomen *iste* indiuiduum idem numero demonstrat etiamque significat. Et *personalis* a *persona*

uocatur, quae hic est indiuiduum suis accidentibus circumscripsum, ut dictum fuit supra, regula 56, 57 et 58, cum de relatione personali tractabam. (2) Impersonalis siue simplex est demonstratio quando aliquid demonstratur et illud idem significatur in specie in numeroque diuersum, ut in exemplo in proxima regula datum, ubi etiam quare sic dicatur, docetur apertissime.

[3] 145. Personalis demonstratio duplex est: una quae fit ad oculum, ut *iste currit*; altera ad intellectum, ut *hic honor*. *Honor* enim et similia incorporalia nunquam ad oculum monstrari possunt, sed duntaxat ad intellectum fit demonstratio. Demonstratio simplex quoque tantummodo fit ad intellectum, ut in exemplo regulae 143 uideri potest, et in multis aliis, ut *haec herba in orto meo crescit*. Sensus enim est, id est talis, et ita quo ad intellectum designatur. Breuiter ergo dici potest quod personalis est demonstratio, quando id quod demonstratur significatur quoque. (2) Impersonalis autem est quando res eadem in specie sed in numero diuersa notatur, ut *haec herba in orto meo crescit*, talis habens huiusmodi speciem. Pro harum trium regularum doctrina pleniori *Doctrinale* cum suis glosatoribus in capitulo IX^o uide, ubi sic *Doctrinale* dicit (9, 1.493-94):

«Impersonalis fit demonstratio saepe:

Sal monstras dicitis: te misit aquis Heliseus».

(3) Et de hac materia, libro 3^o, post principium, scilicet in § *Duae profecto sunt pronominis qualitates*, plenius dissero (supra 3, 1, 2).

[4] 146. In uerbis primae secundaeque personae non oportet, ut suppositum exprimatur, nisi discretionis uel amplioris significationis causa, ut Priscianus primo minoris attestatur (17, 190), et supra, in hoc libro, ubi de discretionem tractaui, multis in locis dixi. (2) Eodem modo in dictione duabus equiuolente non est necessarium ut alterutrum fiat expressio, nisi quandoque uel certioris expressionis habendae uel equiuocationis tollendae gratia, ut in *caecus, surdus, locutus, cedo* necesse non est, ut *uisu, auditu, ore, locum* exprimatur, et si fiat expressio pro certitudine maiore uel equiuocatione fugienda fiet, et tunc pro altera dictione accipientur tantum, ut *caecus est uistae carens*, nec oportet ut dicatur *caecus uisu*, quod si diceretur ita, pro carens tantummodo caperetur. (3) Igitur super hoc regula sic est danda: dicitio duabus dictionibus equipollens, si harum alteri coniungatur, pro altera tantummodo est tenenda, ut *caecus idem est quod carens uisu*, seu inter se equipollent, at si alteram dictionem addidero, pro altera fiet acceptio, ut *caecus uisu* pro *carente uisu* debet intelligi.

[5] 147. In hac locutione *caecus uisu* similibusque est improprietas in superfluitate consistens, ut per duas significetur dictiones, quod per unam significari possit non tamen credas quod una dicitio duo principaliter significet, seu de principali significato notet, sed unum signat principaliter, aliud autem tantum dat intelligere, et ob id equiuoce dici non debet. Tunc enim illa duo principaliter denotaret. (2) Possibilitas est, quia sit possibile quod aliquid cum eo cum quo intelligitur ordinetur. (3) Necessitas est sententiae expressio uel equiuocationis remotio, nam *cedo* dare locum et fundere ferireque significat. Vel melius locutio exprimatur quando *cedo locum* dicitur, quam si *cedo* sine alio diceretur. (4) Ad has duas regulas melius intelligendas non modo Priscianum primo minoris, sed et *Doctrinale* cum suis glosatoribus, in IX^o legas, ubi sic habetur (9, 1.495-97):

«Equiuolens geminis harum subintelligitur

Vni dicitio pro reliquae tantummodo debet haberi

Sicut *uisu caecum uisu* dic esse carentem».